

Tabula itineraria Peutingeriana, primum aeri incisa et edita a Franc. Christoph. de Scheyb MDCCLIII. Denuo cum codice Vindoboni collata, emendata et nova Conradi Mannerti introductione instructa, studio et opera Academiae Literarum

Hahn

Lipsiae; Leipzig 1824

Signatur: 31.B.6

Barcode: +Z221346400

Zitierlink: <http://data.onb.ac.at/ABO/%2BZ221346400>

Umfang: Bild 1 - 132

Nutzungsbedingungen

Bitte beachten Sie folgende Nutzungsbedingungen: Die Dateien werden Ihnen nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke zur Verfügung gestellt. Nehmen Sie keine automatisierten Abfragen vor. Nennen Sie die Österreichische Nationalbibliothek in Provenienzzangaben. Bei der Weiterverwendung sind Sie selbst für die Einhaltung von Rechten Dritter, z.B. Urheberrechten, verantwortlich.

Hinweis: Das Dokument enthält hinterlegte Textdaten, die eine Suche in der Datei ermöglichen. Diese Textdaten wurden mit einem automatisierten OCR-Verfahren ermittelt und weisen Fehler auf.

FS. 56



TABULA ITINERARIA PEUTINGERIANA,

PRIMUM AERI INCISA ET EDITA

A

FRANC. CHRISTOPH. DE SCHEYB

MDCCLIII.

DENUO CUM CODICE VINDOBONI COLLATA, EMENDATA ET NOVA

CONRADI MANNERTI

INTRODUCTIONE INSTRUCTA,

STUDIO ET OPERA

ACADEMIAE LITERARUM REGIAE MONACENSIS.

LIPSIAE MDCCCXXIV.

EXHIBET LIBRARIA HAHNIANA.

31. B. 6

P r a e f a t i o .

In paranda hac nova post Scheybium Tabulae Peutingerianae editione primum de eo cogitandum judicavimus, ut duodecim ejus segmenta denuo cum autographo Vindoboni conferrentur. Non pauca enim a chalcographo, cui Scheybius omne negotium mandaverat, minus accurate e manuscripto in tabulas aeneas translata esse nobis constabat, quamquam Scheybius ipse accuratissimam diligentiam professus esset; et literae amicorum ipsius editioni praefixae summam ejus in omni hac opera diligentiam et maximum Scheybiani exemplaris cum ipso codice consensum testarentur. Ne formas quidem et naturam literarum, quae Longobardicam illam scripturam, imitatu satis difficilem, referunt, autographo prorsus respondere videbit, quicumque codicem ipsum cum Scheybiano apographo contulerit. Et haec quidem scripturae indoles mutari non potest, nisi universa Tabula de novo incidatur. Quod vero rationes nostrae patiebantur, factum a nobis est, ne cum harum literarum detrimento vitia illa, de quibus diximus, licet ea minoris fortasse momenti

ulterius propagarentur. Nam Classis nostrae nomine, *Bartholomaeum Kopitarium*, Bibliothecae Caesareae Vindobonensis Custodem, virum eruditione et humanitate commendatissimum, literis adivimus, ut ejus opera corrigerentur, quae Scheybius corrupta exhibuerat. Rescripsit Kopitarius, jam dudum factum esse, quod vellemus, novamque Tabulae collationem Ura-tislaviam in possessionem Clarissimi *Friderici Schneideri Saxonis* venisse. Hunc simul, quo est animo ad literas juvandas promptissimo, de consiliis nostris certiozem fecit, ab eoque facile impetravit, ut collationem illam nobis utendam concederet.

Fecerat eam Kopitarii hortatu *Valentinus Vodnikius*, Gymnasii Laba-censis quondam Professor, anno MDCCCXV, cum Vindoboni moraretur, et Tabulae membranas in suos usus accuratius examinaret.

Ne autem in diligentia unius Vodnikii quamvis accuratissimi nobis acquiescendum esset, ejusdem Kopitarii opera effectum est, qui per *Fridericum de Bartsch*, Scriptorem Bibliothecae Vindobonensis, loca apud Scheybium corrupta summa diligentia ex ipso autographo delineanda et fide-lissimam scripturae imaginem in eis repraesentandam curavit; quo factum est, ut et ipsi de Vodnikii fide judicare possemus, et chalcographus noster in emendandis Tabulis ipsos autographi ductus quos repraesentaret, fidelissime depictos haberet.

Quae autem nomina urbium, fluviorum, montium et regionum vitiose a Scheybio relata Vodnikii collatio aperuit, ea in indice cancellis inclusa, correctae asterisco signata exhibuimus. Superest jam ut indicemus quae praeterea in Scheybii apographo vitium contraxerint, ut et reliqui er-rores, quos index ille monstrare non posset, numerorum praesertim, sub uno conspectu ponantur.

Segm. I. B. Fluvius *Riger* literae R superscripta est L haud dubie a correctore. — F. Reuessione XVII. Signum numeri inter X et II ambiguum, num II sit an XI. Certum est, non esse V.

Segm. III. A. Brigobone XIII leg. XIII. — C. Serrioduro XVII. Falsum et hic V. Videtur fuisse X et scrib. XXXII. — D. A. loco: ad *plumbaria*, in via usque ad *Hipponem regium* incisus numerus XV, qui non extat in autographo et delendus est.

Segm. IV. A. Inimurio XVII leg. XVI. — C. 39. Filumeni VII leg. VIII. F. Punicum V leg. VI. Ibid inter Hasarte et inter Thasarte numerus XVIII, quem Scheybius bis exhibet, in autographo semel tantum positus est.

Segm. V. C. Saldis XVIII leg. XXVIII. — Ibid. Salinis VIII leg. XII.

Segm. VI. C. A. Silesva avibus milia XVIII leg. XVIII. — D. Avibus XVIII leg. XVIII.

Segm. VII. A. Tierva X leg. XI. — Ibid. Ad Herculem XIII leg. XIII. — B. sub radice VII leg. VI. — Ibid. Nicea XV leg. XI. — C. Tegulicio XII leg. XI. — D. Perdioricto XV leg. XX.

Segm. VIII. B. Thera. Addendus numerus X a Scheybio omissus. — C. Lateas, Addendus numerus XVIII a Scheybio omissus.

Segm. IX. A. Bylleum Fl. II leg. III. Ambae lineae posteriores prioribus fere suprascriptae. — Ibid. Dadastana XXVIII leg. XXVIII. — B. Mileto XVIII leg. XVIII. — B. Egdaua. Addendus numerus XX omissus a Scheybio. B. Tacecavimeno. Ambiguum literae AVIM apud Scheybium AVM sint an AVIN. Vitium in Scheybii exemplari esse certum. — C. Eadem dubitatio in *Seranusa*, num mediae syllabae ANV sint, an AMI. — Ibid. Mesyla XV leg. XVI. — D. Philadelphia versus Tyatiram in via fere perpendiculari pro XXV leg. XXX. — Ibid. Stratonicidi XXXIII leg. XXXVI. — E. Betogabri XIII. Signum X ambiguum. Videtur potius esse V. — Ibid. Rababatora versus Thamaro pro LXVIII leg. LXVIII. — F. Ab Eliopoli versus Heldo addendus numerus XX.

Segm. X. A. Patara X.III leg. XIII. — Ibid. Larissa XIII leg. XXIII. — C. Sinara XII leg. XV. — F. Ciaca. Dubium ita, an Craca habeat codex.

Segm. XI. D. Ad fontem *Scoborem*. Sic recte Scheybius in Indice, at chalcographus Scoborem incidere, quod non est in autographo. A Peloriaca via versus Arthemitam addendus numerus XX.

Segm. XII. D. Concobas XV leg. XX. — Ibid. addendus numerus XI. — E. Ad Fl. Ganges in via Elimacidem versus pro col. (colonia) leg. CCL i. e. ducenta quinquaginta.

Haec igitur in numeris vitiosa erant et in nostra editione addita aut correpta sunt.

Praeter hanc, quam commemoravimus Tabulae incisae emendationem, hoc quoque curandum censuimus, ut quam Scheybius scripserat introductionem, ejus loco nova poneretur, quae his temporibus et priscarum literarum in quo vivimus lumine digna esset. Nam Scheybius majore studio quam iudicio rem aggressus, et in rebus antiquis examinandis accuratioris doctrinae copia non satis instructus, plerumque prolixius egerat, multaque in suum opus intulerat, quae ab eo aliena erant. In re autem primaria, quae circa originem, aetatem et fidem Tabulae explorandam versabatur, a vero eum aberrasse nemini poterat dubium videri, qui tum ipsius scripturae, tum terrarum in Tabula representatarum rationem paullo accuratius examinasset.

Itaque *Conradum Mannertum*, Collegam conjunctissimum, rogavimus, ut quod a nemine, quantum nos quidem sciremus, tanto literarum emolumento praestari posset, introductionem illam novam scribendam in se reciperet. Nec dubitavit vir egregius desiderio nostro satisfacere, quodque promiserat impigre perfecit. Triginta jam anni sunt, ex quo ille Geographiam veterem scriptis suis explicare, omnemque ejus disciplinam uberrima doctrina et indefesso studio emendare atque augere aggressus est, nec quemquam harum rerum intelligentem latet, quo successu et qua nominis sui gloria quod voluit effe-

— v —

cerit. Ipsa vero ejus studia in his rebus tractandis consumpta, cum hac Tabula velut optimo veteris Geographiae fundamento niterentur, factum erat necessario, ut ad eam examinandam singulasque ejus non partes solum, sed literas et literarum apices diligentius considereandos continuo revocaretur.

Non mirum igitur si hunc virum in primis judicavimus idoneum, qui de origine et indole Tabulae post Scheybium majori cum doctrina et acriori judicio adhibito disputaret, nec spem nos fefellisse Mannerti introductio, quae sequitur, docebit. Sed ne ea, quae nostra quodammodo fecimus, nimis extollere videamur, Lectorem ad ipsum opus ablegamus.

Ceterum Mannertus jam dudum de aetate Tabulae sententiam suam in dissertatione dixerat, quae ejus commentario de Rebus Trajani ad Danubium gestis addita est. Eam, cum in linguam francogallicam translata esset, impugnarunt viri, qui anno MDCCCXI de praemiis decennialibus inter eruditos distribuendis ad Gallorum tunc temporis Imperatorem codicillos composuerunt. Defensus est eodem tempore contra hos adversarios a *Maltebrunio*, perito harum rerum judice in Annalibus peregrinantium, nec praeterea quidquam de hac re, quantum scimus, publice inter eruditos transactum est.

Ceterum suaserat nobis Mannertus, ut ex Scheybii editione index nominum repeteretur, in qua re nos ei, additis, ut diximus, nominibus correctis, obsequi sumus. Non sane neque integer satis neque ea qua decet cura elaboratus est ille index; ceteroquin utilissimus, et quo nemo in Tabulae usu facile careat. Gratissimum autem nobis fecerint, qui eum ex Tabula augere atque emendare, et quae mutanda aut addenda invenerint, nobiscum communicare velint, ut si qua occasio Tabulae denuo edendae contigerit, ipsorum opera cum commodo horum studiorum uti possimus. Ad hoc in primis hos viros hortamur, quibus datum est Vindoboni Tabulae autographum examinare. Plura enim quae propter confusam literarum Longobardicarum indolem dubia sunt melius ex autographo quam ex Scheybii descriptione cognosci et dijudicari poterunt.

Denique harum rerum studiosos ad commentarios in Tabulam scribendos hortamur; qui si ex animi sententia nobis contigerint cum auctoris honore et commodo instar supplementi huic editioni subjungentur. In his commentariis elaborandis necesse erit ordinem Tabulae sequi, exhibere omnia terrarum, fluviorum, montium et locorum nomina, quae in Tabula commemorantur, per singulas provincias disposita, indicatis simul numeris milliariis. Hunc velut contextum Tabulae, adhibitis itinerariis antiquis et Geographorum veterum libris, observationibus ornare par erit, in quibus corrupta emendentur, explicentur difficilia, et addanturea, quae in ipsa Tabula non inuenias, aut quae cum primo ejus segmento, quod Hispaniam, Africam et Britanniam continebat, interciderunt.

Si quis in his commentariis diligentiam et iudicium acrius adhibeat, ut non nisi res necessarias, easque breviter et distincte commemoret, confidimus fore, ut uno volumine non ita amplo opus perficiatur, quo et usus atque utilitas Tabulae latius diffundi et veteris Geographiae studium insigniter juvari poterit.

Monachii in Academia literarum regia. Calend. Octobr. MDCCCXXIII.

FRIDERICUS THIERSCH,

h. t. classi philologorum et philosophorum ab epistolis.

En Tibi, benevole Lector, novam Tabulae Peutingerianae editionem. Munificentiae illam debes Regis nostri *Maximiliani Josephi*, cujus animum ad augendam regni prosperitatem propensum, eundemque adjuvandae rei literariae cupidissimum, omnes pariter novimus. Is Patriae Pater Tabulae aeri incisa segmenta, ab interitu erepta imminente, per Academiam literariam Monachii florentem divulgari voluit, ut praestantissimum illud opus, novis curis exornatum, eruditorum studiis et in futura saecula adjumento esset.

Ante hos septuaginta fere annos *Franc. Christophorus de Scheyb*, Patricius Constantiensis Austriaeque Inferioris proceribus ab epistolis, qui ejus fuit in literas promovendas ardor, impensis satis gravibus laborem summo nisu susceptum ad finem perduxit optatum, ut Orbis Pictus ex unico, quod in amplissima *Caesaris Augusti* bibliotheca Viennensi asservatur, archetypo in publicum prodiret, eadem forma, iisdem dimensionibus, coloribus, literis, quales Membranae delineatio spectanti offert. Universam juncturam in duodecim segmenta divisam edidit 1753 Viennae, addito prolixo atque satis erudito in Tabulam commentario. Inde tamen moles libri simul cum pretio quo venderetur aucta, quod, grave emptori, noxium simul fuit editori, minorem exemplorum numerum dividenti, quam opus esset, ut expensae operi edendo factae sibi redirent; ac is quidem suo damno in literas se fuisse liberalem sensit. Obiit re familiari non adeo prospera, et silentium altum de fato Tabularum aeri incisarum, quarum ope nova formarentur exempla; inde eorum non nisi magno pretio comparandorum raritas. Venerant autem illa, simul cum exemplaribus editionis Scheybianae nondum divenditis, in possessionem Academiae Palatinae, cumque ea Monachium transferretur, hominum quorundam imperitia suppellectili istius Academiae, quae publicae auctionis lege Manheimii divenderetur, fuerant additae. Inde redemptor aliquis pretiosissimum istud aes sibi comparat, et ignarus thesauri, quem fors illi obtulerat, tabulas conflare atque in usus suos convertere volebat.

Prohibuit nefas tutelare literarum numen. Nuntio enim de acre isto ad Academiam nostram perlato, cognitoque revera esse antiquae Mappae formas bene conservatas, manibus profanis ereptus

est thesaurus, paullo majore quam quo emtori steterat soluto pretio. Academia autem divenditis exemplaribus impressis, ut satisfaceret publico desiderio simul et studio rem literariam promovendi mota, e sodalium numero me elegit, quem ad opus denuo edendum judicaret idoneum.

Auspiciis igitur Academiae atque illius consilio et auxilio nova prodit Tabulae Peutingerianae editio, prioribus, nisi omnia nos fallunt, emendatior praestantiorque, simul minori quo ematur commendata pretio. Lucri enim faciendi nulla Academiae cura, utilitatem literis navandam spectat, nil quaerens nisi ut impensae factae pars ipsi redeat.

Ac *Scheybius* quidem paterno in Tabulam ductus amore summo studio ab omni parte conquisivit, quae ad elucidandum ornandumque opus inservirent; sed in ea re nimius fuit. In laudes enim Tabulae quacunq̄ue data vel arrepta occasione effusus, testimonia eruditorum suis opinionibus faventium colligendo, redarguendo multis verbis alios, quos sibi repugnantes repererat, disquisitiones simul inserendo doctissimas quidem, ad scopum tamen minus facientes, dissertationem in nimiam extendit molem. Stylo praeterea ornatum dum quaerit rhetoricum multis verborum ambagibus involutum, a sincero latini sermonis nitore eaque simplicitate, quam geographicae descriptiones postulare videntur, longe recessit.

Omissis hisce omnibus, tanquam dotem nostrae paraturi editioni, disquisitiones has instituamus, et doceamus:

- 1) Auctorem primum tum Orbis Picti tum Itinerarii, quod vocamus Antonini, aestimandum esse Imp. Augustum Octavianum, seu potius M. Vipsanium Agrippam, quorum opus emendatum subinde ab imperatoribus aevi sequentis.
- 2) Quonam Romae imperante archetypon, cujus delineationem exhibemus, prodierit.
- 3) Num, quod Vienna asservatur, Orbis Picti exemplum genuinum tertii seculi sit archetypon, an medii potius aevi opus.
- 4) Transscriptam Tabulam esse seculo decimo tertio a monacho quodam.
- 5) Quae Methodus in exarando Orbis Picti archetypo adhibita sit, et quae inde ad nos redundet utilitas.
- 6) Quae vitia Tabulae a monacho infusa sint; et quae alia praeterea perperam Tabulae imputata.
- 7) Quae fata Tabulae Peutingerianae fuerint.

8) Quae merita Scheybii in exornanda sua Tabulae editione; et pauca insuper de nostris conatibus. His accedet

9) Appendix de Geographo Ravennate.

Harum quaestionum partem Scheybius occupavit, vera sua laude nullo modo defraudandus. Cum tamen nos saepius ab illo dissentientes longe alia progrediamur via, lectorum rationibus magis consultum fore putamus, si illius dictis minus inhaerentes brevissimis verbis per expositionis seriem indicemus, quae nobis aequae ac illi arrideant, tum de quibus aliter, gravioribus ducti rationibus, statuamus.

S e c t i o I.

Auctor primus tum Orbis Picti tum Itinerarii, quod Antonini vocamus, aestimandus est Imp. Augustus Octavianus, seu potius M. Vipsanius Agrippa; quorum opus ab aevi recentioris imperatoribus subinde emendatum est.

Antiquissimis temporibus geographicarum chartarum usum fuisse gentibus, multis verbis, ab Aegyptiorum rege Sesostri initio facto, legentibus persuadere conatur Scheybius. Haec a nostro proposito aliena relinquimus, de eo dicturi Mapparum genere, cujus unicum ante oculos habemus exemplum.

Ex eo aevo quo Romani vias stratas in exercituum usum summa arte construere coeperant per Italiam, simul et usus Itinerariorum enascebatur. Maximi intererat enim, nexum locorum eorumque inter se distantias, diverticula, conjunctionem aliis cum viis ante oculos habere, ut sicubi quid corruptum annunciaretur, ei malo jussu senatus mederetur. Intererat exercitus ductoris, nosse loca sibi in itinere transeunda, ubi quiescendi, ubi pernoctandi statio. Singularum viarum ratio publicis monumentis iter facientibus erat proposita^{a)}, nexus cunctarum asservabatur Romae; inde origo Itinerariorum.

Quae parva initio in multo majus paullatim excrescebant volumen, quum Romanorum arma imperium simul et vias proferrent per Viam Ignatiam in remotas orientis regiones, quum ex altera

^{a)} Cujus rei exemplum vides in via praetoris Popilii Rhegio ad Capuam ducta, ap. Gruter Inscript. p. 150, n. 6 et 7, et in *Voyages Pittoresques de Naples*. Tom. III. p. 151.

parte Italiae itinera Occidentem versus per Provinciam Narbonensem continuarentur in ultimas Hispaniae partes, et quum devicto Jugurtha Africa Romanorum ditioni accederet. Ubi enim quieta possessio, ibi et viae stratae Romano more.

Multiplicatus inde labor cognoscendi locorum seriem, cujuscunque viae modum et cum aliis conjunctionem, praesertim quod experientia docente paullatim cognitum erat, quasdam vias esse immutandas, alias derelinquendas, alias diversa directione instituendas novas. Nulla certitudo inde magistratui Romano, qui vetustiore indice confisus vel ipse proficiscens omnia alia per itinera inveniret, vel necessitatibus exercitus peregrinantis prospiciens, annonam in locis a se designatis non esse reperiendam audiret. E re natum igitur desiderium in dies magis magisque invaluit, ut publica auctoritate mensores per omnes mitterentur provincias, in qualibet via descripturi locorum nomina eorumque inter se distantias, quorum labore finito index universum imperium complectens Romae posset confici. Id ut fieret, decretum esse C. Julio Caesare et M. Antonio Coss. multisque postea annis magnum opus ad finem esse perductum, asserit *Aethicus*, seculi quarti scriptor, in praefatione cosmographiae, ac rerum nexum et ordinem tam copiose tradit, ut acta vetusta ante oculos habuisse putetur. Sed audiamus ipsa auctoris verba:

„Julius Caesar ex senatus consulto censuit, omnem orbem jam romani nominis admetiri per prudentissimos viros et omni philosophiae munere decoratos. Ergo a Julio Caesare et M. Antonio Coss. orbis terrarum metiri coepit, id est a consulatu suprascripti usque ad consulatum Augusti tertium et Crassi, annis XXI, mensibus V, diebus IX, Zenodoto omnis oriens dimensus est, sicut inferius demonstratur. A consulatu item Julii Caesaris et M. Antonii usque in consulatum Augusti decimum, annis XXIX, mensibus VIII, diebus X, a Theodoto septentrionalis pars dimensa, ut evidenter ostenditur. A consulatu similiter Julii Caesaris usque in consulatum Saturni et Cinnae a Ptolemyto meridiana pars dimensa est, annis XXXII, mense I, diebus X, sicut definita monstratur. Ac sic omnis orbis terrae intra annos XXXII a dimensoribus peragratus est, et de omni ejus continentia perlatum est ad senatum.“

Clarissimus *Wesselingius* in praefatione ad Romanorum Itineraria certissimis docet argumentis, vitii quidquam inesse Aethici numeris annosque XXV verum esse inter inchoatum atque absolutum opus spatium. Lubenti animo non errorem calculi concedimus tantum, sed et statuimus laborem intermedio temporis passim esse interruptum. Quo enim pacto mensuratio auctoritate Jul. Caesaris suscepta, civilibus bellis jactata post ejus mortem republica, haud turbato ordine continuari potuisset? Quis sumtus necessarios erat praebiturus, senatu ad omnia alia intento? Opus resummi atque perfici non potuit, nisi postquam Octavianus Augustus solus firmum et quietum tenebat imperium.

Tres illos Graecos mensores operi perficiendo praepositos per orientis, occidentis atque meridiei partes demortuos longo temporis spatio sumamus, nec tamen cum illis fructus interiisse laboris

immensi. Marcus enim Vipsanius Agrippa summa cura perfecit quae forte deessent, addidit alias vias suis maxime auspiciis septentrionem versus per Galliam, Hispaniam tandemque et ad Danubii fluenta exstructas, et omnibus denique in magnum corpus collectis absolvit Itinerarium universale per universas amplissimi imperii provincias, quod a nullo alio tam felici successu absolvi poterat. Ardor enim huic viro praestantissimo innatus nullis difficultatibus unquam est deterritus, quin viis ipsis inspectis mutaret mutanda, novas ipse exstrui curaret; quae si alii cuiquam viro animi munera contigissent, non tamen is efficere umquam potuisset, quae Agrippa executus est; ejus enim incoeptis nullus per provincias magistratus sese difficilem praebere umquam ausus est, ut id fieri assolet cuivis alii eadem qua ipse potestate haud munito.

Vias quidem a Lugduno per omnes Gallias stravisse Agrippam e Strabone (L. IV. p. 318 ed. Almelov.) scimus; his addidisse quae mensores notaverant, omnibusque in continuum ordinem redactis in sua porticu populo inspiciendam proposuisse Pictum Orbem testatur Plinius III. 2. Idem de Agrippae viarum mensuratione per Hispanias locutus pergit: „Agrippam quidem in tanta viri diligentia, praeterque in hoc opere cura, cum Orbem Terrarum Vrbi spectandum propositurus esset, errasse quis credat, et cum eo divum Augustum? Is namque complexam eum porticum ex destinatione et commentariis M. Agrippae a sorore ejus inchoatam perfecit.“ Augustus igitur proposuit populo ex Agrippae commentariis desumpta.

Ex iisdem commentariis originem esse ducendam et Tabulae Peutingerianae et Itinerarii Antonini certis rationibus mihi persuasum habeo. De mensura enim alia per universum Orbem sequentibus saeculis denuo suscepta, nulla scriptorum ne exigua quidem mentio. Opus immensum fuisset, ut fuisse sub Augusto vidimus; insuper labor inutilis; Agrippae enim cura summa intentione collectis atque ordinatis praestantius quidquam proferri posse, id quidem vix ac ne vix quidem sperari potuit. Permanente igitur Agrippae delineatione, operi posthaec inserebantur novae in dies exstructae viae, aliae quarum usum posterior aetas neglexerat, omittebantur, emendabantur, quae usus quotidianus repererat vitiosa. Necessarias ejusmodi emendationes primo jam exaratae Tabulae tempore fuisse idem Plinius III. 2 indicat: „Quae causa magnos errores computatione mensurae saepius parit, alibi mutato provinciarum modo, alibi *itinerum auctis vel diminutis passibus*.“

Nec tamen Orbis Pictus ex Agrippae commentariis in muros porticus translatus cuncta minutiora exhibuisse credendus, eorum enim cognitionem Augustus ejusque successores sibi reservabant, ad publica negotia ordinanda; et quem usum populi quotidianus confluxus ex immenso cepisset vicorum numero, quorum ne nomina quidem unquam auribus acceperat? Montes, majores fluvii, maria, Oceanus omnia cingens, coloribus depingebantur, cum urbibus notatu dignis, additis distantiarum numeris. Quae cuncta oculis imperii magnitudinem mirantium, coloribus congruis exornata, eodem putem, quem in Peutingeriana conspicimus Tabula, ordine collocata fuisse; ita scilicet, ut geographicae regionum formae atque extensionis ratione minus habita distantia locorum viarumque directio tan-

tum describerentur. Non aderant enim eo aevo mappae geographicae, quibus verus terrarum situs ita proponeretur, ut urbium cohors convenientem quaevis locum in illis inveniret; nec si adfuissent connexionis series atque regionum vera figura in porticu licet magna proponi potuisset. Eadem enim proportione, qua Orbis Pictus in longitudinem ab occidente ad orientem excrescebat, extendendus quoque fuisset in altitudinem a meridie ad septentrionem; qua re porticus nimium quantum assurrexisset in altitudinem. Et fac, satis altam fuisse, ut cuncta rite exponerentur, quem usum pictura praebuisset inspicientium, legentium, figuras mirantium multitudini? Ante oculos habuisset Africae deserta; Italiae expositio altiore loco jam posita vel proceri hominis staturam longe superasset, magis septentrionalia in tantam surrexissent altitudinem, ut non dico legentium sed et picturas intuentium aspectui omnino sese subtraherent. Qua de causa opinor, eundem observatum esse ordinem, quem nobis exhibet Peutingeri Tabula, in magnam longitudinem, multo minorem altitudinem extensa.

Orbis Pictus Romanis publice proponebatur non tantum gloriae causa, sed et ut inde cognitione geographica imperii imbueretur juvenus. Id feliciore ut proveniret successu, a Porticu excerpantur, compendii instar, potiora, scitu maxime necessaria, aequae depicta, sicut uberior illa in Porticu expositio, eaque pictura affigebatur scholarum parietibus. Hinc tibi explices notissimum illum *Propertii* versum (IV. epist. 3. v. 36). „Cogor et e Tabula pictos cognoscere mundos.“ Tres igitur inter se diversae expositiones similiter audiebant nomen Orbis Picti, omnes quod re vera pictae erant, ut et nostra Peutingeriana Tabula Orbis Pictus est. Ne subrideas, benevole Lector, quod alieno forsitan loco minutius declaravi, quae ipse rei nexus ostendit, et quae ad expositionem a nobis instituendam parum faciunt. Addidi, quia e diverso orbis picti sensu dubia enasci possent.

Eadem de causa subjungam *Eumenii Rhetoris* locum, manifeste testantem, eundem juventutis ope Orbis picti erudiendae morem per complura secula in publicis scholis obtinuisse. Is in *Oratione pro restaurandis scholis* habita, C. 20, 21, acta Diocletiani Augusti atque Caesarum Constantis Maximiniani, all., summis laudibus extollens adjungit: „Videat in illis porticibus juvenus, et quotidie „spectet omnes terras et cuncta maria, et quidquid invictissimi principes urbium, gentium, nationum, aut pietate restituunt, aut virtute conficiunt, aut terrore devincunt. Siquidem illic, instruendae pueritiae causa, quo manifestius oculis discerentur, quae difficilius percipiuntur auditu, omnium cum nominibus suis *locorum situs*, spatia, intervalla, descripti sunt, quidquid ubique fluminum „oritur et conditur, quacunque se litorum sinus flectunt, quo vel ambitu cingit orbem, vel impetu „irrupit oceanus. — C. 21. Nunc enim, nunc demum juvat *Orbem spectare Depictum*, cum in illo „nihil videmus alienum.“ Quae cuncta declarant, seculo quarto adhuc Orbem Pictum adhibitum fuisse, e quo in re geographica erudiretur juvenus. Ejusmodi picturas per provincias dispersas primam originem e magna illa Porticu Romae exstructa traxisse vix ac ne vix quidem dubitandum est, in compendium scilicet contractas scholarumque porticibus affixas; sic ut mutationes aevi progressu enatae insererentur subinde, forsitan et verioris locorum situs, quantum fieri poterat haberetur respectus.

Ex iisdem commentariis, quae haec omnia suppeditarunt, emanavit quoque *Itinerarium*, quod *Antonini* appellamus, in usum publicum inde excerptus index locorum praecipuorum eorumque distantiae. Utriusque subiinde comparebat nova recensio, numero rerum immutatarum per provincias ita crescente, ut antiquior verae viarum rationi minus conveniret. Quum igitur recensiones diverso tempore editae conferuntur, magnae discrepantiae occurrunt. Comparanti Peutingerianam Tabulam cum *Itinerario* manifestum id erit. In priore illa per Rhaetiam provinciam viam habes ex Helvetia ad Danubii fluentia ducentem, in *Itinerario* ejus nulla mentio. Alia Tabulae via a Campoduno (Kempten) brevissima directione orientem versus ducit ad Juvaviam (Salzburg); nec illam deprehendis in *Itinerario*, quod plane diversam tibi ostendit ab Augusto Vindelicorum Juvaviam usque perductam, cujus nullum in Tabula vestigium. Causa diversitatis in diverso recensionis aevo; tertio saeculo edita est Tabula, ut inferius patebit, *Itinerarium* versus finem saeculi quarti, quo intervallo temporis novae extractae erant viae, antiquiores derelictae.

Artificiose Tabulae Pictae operi in aula principis asservato haud difficulter inserebantur mutationes, simul atque per provincias erant institutae, debebantur obsoletae; ut autem et in populi notitiam mutationes factae pervenirent, passim novae *Itinerarii* editiones publica auctoritate prodierunt. Editionum ejusmodi ultima Antoninorum forsitan aevo comparuit, indeque nomen *Itinerarii Antonini*. Id re vera quo dixi modo accidisse certis argumentis confirmare haud possum, conjecturam tamen veritati proximam esse, *Itinerarii* aspectus ostendere videtur. In his enim quibus utimur exemplis, permultas intermedias et transversas vias deprehendimus, non suo loco positas, alias per easdem regiones ductas in libro magno paginarum intervallo a sua vicinitate dimotas, ut confusio inde necessario oriatur, nec urbes nisi e nostrarum editionum indicibus colligi queant. Publica auctoritate adeo turbatam editionem prodiisse eo minus credendum, quod cura necessaria adhibita, ordo purior haud difficulter natus fuisset. Post igitur Antoninos novae editiones privatorum hominum opera institutae esse videntur, qui collectas posteriores viarum immutationes, ubi idoneum sibi visum, insererent.

Wesselingius in sua ad *Antonini Itinerarium* praefatione, perpensis diversorum opinionibus, ea quam novimus sagacitate simul et moderatione, Constantino Magno id recentius esse affirmat, ductus potissimum compluribus urbium indicatis nominibus, eo aevo prima vice auditis. E. g. Constantinopoleos, Diocletianopoleos etc. Ad posteriora tempora non descendit, quod in Africa urbs Constantina in *Itinerario* antiqua sua appellatione vocatur certa. Ad roborandam sententiam e sua editione p. 139 possuisset adjungere: „*Byzantio quae et Constantinopoli*.“ clarissimo indicio, non ita multum temporis effluxisse, ex quo nominis mutatio invaluit. Ejus sententiae, *Itinerarii* editionem ad vetustiora tempora ascendere non posse, quilibet antiquitatis peritus sine dubio accedet; de recentiore aevo invitus dissentio, nec tamen magna opinionis differentia. Ante annum p. Chr. n. 364 edi vix potuisse *Itinerarium* ex eo colligo, quod in eo omnis deest Mesopotamiae urbiumque per eam munitissimarum mentio. Quum igitur *Itinerarium* ederetur, deperdita jam erat provincia post diuturnum cum Persis bellum, quibus eam cessit Imp. Jovianus a 364. — Certae urbis nomen nec Wesselingii nec meo judi-

cio officit, in remotis Africae partibus oppidi appellationem in Constantiam transiisse, forsitan nefando quidem percepit editor.

Editorem autumo eundem esse *Aethicum*, de cujus praefatione supra sermo fuit; ut et aliorum rationibus minus enucleatis autumarunt; Wesselingium in sententia nutantem demiror, quum is ipse sollicitate congesserit quae ad rem faciant. In plerisque iisque antiquissimis Itinerarii codicibus Aethici cosmographia juncta est Itinerariis; scriptores noni seculi Flodoardus, Hugo Flaviniacensis, Aethicum Itinerarii auctorem declarant; alios e. g. Baldericum et Chronographum Ferrariensem a Wesselingio citatos, dum Jul. Caesarem, Antoniumve Consulem nominant, ex eodem fonte hausisse manifestum est. Hisce testibus jungit ipsius cosmographiae Aethici textum, ut appareat magno Itinerarii operi, nil nisi nomina numerosque continenti, eum adungere voluisse compendium, provinciarum suppeditans brevem descriptionem, pro seculi genio satis concinnam. Cave tamen confundas genuina cum intrusis. Post enim eam, quo primi Itinerarii indicantur auctores, introductionem homo insulsus, ut puto octavi saeculi, insipidissimam enarrationem marium, fluminum, urbium, summa confusione atque ignorantia inseruit, vera falsis, vetusta recentioribus miscens. Quibus omnibus haud cunctanter rejectis Aethicum invenies ab eo loco cui titulus praefixus: „*Alia totius Orbis descriptio*“; exinde cuncta justo suo procedunt ordine. Idem tamen falsarius complura compendii ipsius corripit, ut manifestum est ex introductione, ubi auctor verus a Zenodoto orientem esse demensum affirmat, adjunctis verbis: „sicut inferius demonstratur“, cujus tamen demonstrationis ne levissima quidem mentio in posterioribus, quae incipiunt: „Hanc quadripartitam totius terrae continentiam etc.“ sed frustra de quadripartita ista terra quidquam quaesiveris. Omissa permulta inde clarum est.

Aethici incorruptam cosmographiam introductionis loco Itinerario praepositam fuisse, omnia magno consensu docent, pro re certa id asserere animus impulit me deprehendentem; in libello eodem quo in Itinerario modo „Civitatem Constantini quae Byzantium prius dicta est“ produci; et multo magis ultimis compendii verbis: „Et quoniam universa terrarum orbis spatia vel insularum descripsimus, nunc ad majorem demonstrationis structionem, in quantum vigilantia nostra investigare potuit, demonstrabo.“ Sed pronunciare conantem rejicit ipse Aethicus, additis hisce paucis: „ex aeterna urbe Roma initium sumens, quae caput est orbis et domina senatus.“ Cujus periodi Itinerarium ipsum continuatio statui nequit, cum id non ab urbe Roma, sed ab extremis Africae regionibus descriptionis initium faciat. Verisimilitudine e connexionem testimoniisque vetustis ducta standum igitur, quae si forte lectoribus minus arrideat, nec agnoscat Aethicus auctor, editionem tamen versus finem seculi quarti perfectam esse in certis remanet.

Sed quorsum haec omnia, cum non de Itinerario, sed de Orbe Picto illo magno in imperatorum usum ex Agrippae commentariis composito disquisitio sit instituenda? Fratres germani sunt minime separandi, sic tamen ut orbis pictus, senior fratrum, multo majoribus exornatus dotibus appareat. Nunquam ea, ut Itinerarium traditum fuit, civium manibus tradebatur, reservata usui impera-

torum, secretioris aulae, exercitusque ducum, quibus princeps vel omnem Tabulam vel ejus partem ad negotium perficiendum committebat. Id declarat in loco saepissime citato *Vegetius* de re militari III, 6: „Dux belli itineraria omnium regionum, in quibus bellum geritur, plenissime debet habere descripta, „ita ut locorum intervalla non solum passuum numero, sed etiam viarum qualitate perdiscat, compendia, diverticula, montes, flumina, ad fidem descripta consideret; usque eo, ut sollertiores duces „non tantum annotata, sed etiam *picta* habuisse firmentur, ut non solum consilio mentis, verum aspectu oculorum viam profecturis eligerent.“

Arcanis imperii igitur adnumerabatur primaevus ille Orbis Pictus, cujus exemplum Tabula Peutingeriana exhibet. Hujus archetypi usus omnino denegatus et sub malo principe exitiosus quoque fuit privato, quod rebus novis eum studere suspicio excitabatur domino, de qua re nos certiores reddit *Suetonius* in Domitiano, c. 10. Metiano Pomposiano capitale fuit, „quod *depictum Orbem Terrae* „in membrana circumferret.“ De imperatoris mappa sermonem esse liquet, porticus enim pictura cuivis privato patebat.

Inde summa Orbis Picti raritas; in scriniis enim imperatoris seclusus non nisi paucis conspicuus, ita ut ducibus ad gerendum publicum negotium vel totius exemplum vel partis tantum committeretur; eodem modo quo nostris diebus dux exercitus mandata, quae exequatur, in aggrediendo hoste accipit, simul et regionis delineationes aliis haud communicandas. Quae ita se habere non tantum re ipsa declaratur, sed et testimoniis veterum, a Simlero, Welsero, Wesselingio atque Scheybio conquisitis, quorum et ego notabo *Ambrosii* comment. in Psalmum CXVIII: „Miles qui ingreditur iter, viandi „ordinem non ipse disponit sibi, nec pro arbitrio viam carpit, nec voluntaria captat compendia, ne „recedat a signis; sed *Itinerarium ab Imperatore accipit, et custodit illud.*“

Accurata igitur diligentia, quae in qualibet provincia subinde in viarum rationibus mutabantur, imperatori erant transmittenda, ut insererentur magnae Mappae. Id nisi summo studio factum esset, ducibus itinerantibus certi quidquam quo confiderent, tradi nullo pacto potuisset; nunquam ejusmodi edicta potuissent prodire, quale ab Imp. Alexandro Severo editum esse *Lampridius* in vita Alex. Severi, c. 45 notat: „illa die, illa hora, ab urbe sum exiturus, et si dii voluerint in prima „mansione mansurus; deinde per ordinem mansiones, deinde stativae, deinde ubi annona accipienda; „et id eo usque quamdiu ad fines barbaricos veniretur.“ Omnia igitur maxima cura notata fuerunt in Tabula, ne error commissus noxius esset proficiscenti.

Facile nec turbato concinno ordine (de quo inferius necessaria notabo) inserebantur Tabulae novae viae, delebantur aliae. Seculi decursu tamen quum multa sensim accrescentia confundere institutum ordinem, errores adducere viderentur, nova Orbis Picti opus erat recensione, — nec tamen nova, qualis Augusti aevo facta est Imperii mensuratione. Ejusmodi incoeptum tam arduum erat, ut nullo modo, nisi summa necessitate urgente instauraretur. Nec ulla necessitas impulit, omnibus per

decursus temporum diligentissime annotatis. Sed nova delineatione, nova pictura egebat Tabula, cui eodem, quo antea ordine inscriberentur, quales tunc erant viae rationes; ita quidem, ut denuo spatium superesset indicandis immutationibus, quae tempora futura redderent necessaria. Factas esse ejusmodi recensiones, unde et in privatorum usum novae Itinerarii editiones vulgarentur, id certum; longe enim alius aspectus Tabulae tertio saeculo ac Augusti aevo. Quo tempore autem, a quibus imperatoribus, tenebris involvitur, nec ejus facti indicium in vulgus emanare potuit, quum omnia in interiore palatio peragerentur.

Haec asserentem monet Lector, non recensionis modo novae, sed et novae ab Imp. Theodosio institutae Orbis dimensionis testimonium adesse indubitatum. A multis, inter eos et a Scheybio haec cum sit recepta opinio, ea fiducia, ut et autographon, quo fruimur, *Theodosianam Tabulam* appellarent, rei penitus pertractandae necessitatem imponunt Tabulae editori. — Scriptor fuit miserimus noni saeculi, cui nomen *Ducuil*; is suo libello: *Mensura provinciarum orbis terrae* inscripto duodecim inseruit versus, a Welsero jam exscriptos. Post vero per varios casus codice in Regiam Parisiensem bibliothecam perlato, Doctiss. Schöpflin, pro sua in litteras voluntate inde summa fide excerptam horum versuum transcriptionem misit Scheybio petenti. In illis omnis cardo rei quum veretur, Scheybii lectionem secutus versus propono:

Hoc opus egregium, quo mundi summa tenetur,
Aequora, quo montes, fluvii, portus, freta et urbes
Signantur, cunctis ut sit cognoscere promptum
Quidquid ubique lateret. Clemens genus, inclita proles,
Ac per saecula pius, totus quem vix capit orbis,
Theodosius Princeps venerando jussit ab ore
Confici, ter quinis apperit dum fascibus (fastibus?) annum,
Supplices hoc famuli, dum scribit pingit et alter
Mensibus exiguis, veterum monumenta secuti,
In melius reparamus opus, culpamque priorem
Tullimus, ac totum breviter comprehendimus orbem,
Sed tamen hoc tua nos docuit sapientia princeps.

Hosce versus non esse illius Ducuilii e quo desumuntur, sed scribae Imp. Theodosii, inter omnes constat. Eo major controversia, cum deprehenderis, Scheybium inde et cum eo permultos alios praecipites se dare in opinionem: Theodosium quindecimo imperii anno omnem Orbem Romanum de novo mensuratum Tabulis pictis complecti jussisse, ejusque incepti fructus ipsissimam Tabulam esse quam terimus manibus. Huic tamen asserto renuit nomen Imperatoris, obstat status reipublicae qualis tunc temporis erat, repugnat aspectus nostrae Tabulae, contradicunt ipsi scriptoris versus; omnia consurgunt contra illam sententiam.

Non nisi tres Theodosius I. suscepit consulatus, isti autem versus decimum quintum indicant, ut suspicio suborta sit, Theodosium II. insigniri, cujus octodecim consulatus omnes pariter novimus, quo sumto, Orbis mensurati annus foret a Chr. nato 435. Cum autem, Theodosio II. per orientem tantum imperante, mensuratio universi Orbis ejus jussu fieri nequiverit, concedamus Scheybio, Theodosium I. versibus prolatis significari; idque eo libentius, quod versu septimo pro *fascibus* legatur *fastibus* in *Burmani* anthologia latina Vol. II. p. 392, ut et ab aliis. Qua lectione non consulatus sed imperii annos denotari tibi persuadeas, ut jubente Scheybio omnis mensuratio confecta sit anno 393.

Nec tamen hisce omnibus concessis expeditur. Turbatus hoc aevo reipublicae status, quo urbes ad Rhenum, ad Danubium etc. partim excisae, partim quotidianis barbarorum incursionibus essent expositae, magna confusio in interioribus provinciarum partibus, omnia mensurationi novae tempore tam alieno repugnant, multo magis mensurationi intra paucos menses inceptae atque finitae, quae cuncta fieri minime potuisse uberius exponere, si animus esset, ridiculus putarer.

Sed et versus ipsi nil de mensuratione, alia omnia potius indigitant. Duo aulae famuli, quorum unus pictor alter scriptor fuit, jubente imperatore adhibuerunt *vetera monumenta*, emendantes quidquid vitii illis inhaereret, eoque modo, dum pingit alter, alter scribit, intra paucos menses *opus reparaverunt in melius*. De mensuris ne verbum quidem, novam antiquae Tabulae parabant recensionem, eamque satis futili opere; pauci menses enim vix sufficiunt exscriptioni, multo minus sollicitae institutae emendationi, ut mutarentur, quae lapsu temporum per provincias novas induissent formas.

Certum tamen est e prolatis versibus novam Orbis Picti editionem procurasse illos viros, credendum insuper praefationis loco hosce versus editioni fuisse praefixos. Id non innuere sed satis distincte declarare videntur prima verba: *Hoc opus egregium etc.*; Tabula igitur ipsa excipiebat versus, ut vix dubium sit, eam a Duculio adhibitam esse; nec repugnare velim contententi, nostram Tabulam Peutingerianam apographon esse Orbis Picti. Theodosii enim aevo, sit ille nominis sui primus vel potius secundus, Orbem Pictum non eadem, qua primis seculis sollicitudine inter imperii arcana computatum esse, conjicere possumus eaque causa facilius divulgatum.

Hanc autem sententiam amplectenti statuendum est simul, pictoris ejus et scriptoris operam nec esse mensurationem, nec recensionem novam, sed antiquioris exempli exscriptionem nudam, cui nil Theodosii aevo proprium insereretur; repugnat enim in omnibus sui partibus Tabula nostra Peutingeriana huic aevo, profert provincias urbesque quae tunc non amplius superstites erant, alia hoc fere tempore florentium urbium nomina omittit, seculoque quo paganorum cultus adhuc vigeat eam confectam esse, clarum sexcentis ethnicorum templis per omne imperium dispersis, nominibus deorum insignitis quibus dedicata erant. Sub christianissimis Theodosiis id fieri potuisse quis cre-

dat? De christianorum cultu ne levissimum quidem indicium, nisi S. Petri templum nominare velis a christiano medii aevi ut videbimus intrusum. Theodosii aevo quum igitur nostra Tabula omnino deneganda sit, studium nostrum convertatur ad indagandam veram nostrae recensiois aetatem.

S e c t i o II.

Quo aevo, quibus Imperatoribus, archetypon, cujus exhibemus delineationem, prodierit.

In scriptis ad rem geographicam spectantibus, nullum praestantius inveniendae aetatis est remedium, quam quod opus ipsum, de quo quaesiveris, tibi suppeditat. Rarissime, licet auctor summa cura nitatur, continget, ut aevum, quo vixerit, curiose investiganti subtrahat lectori; nunquam certe in volumine universum Orbem complectente. Vano incepto sileat de eo quod sua aetate accidit, vel nolenti elabuntur nonnulla illum prodentia. Et fac effecisse ut vettustior appareret, recentior certe apparere nullo modo potest; immutationum enim posteriorum ignarus, de illis nisi divino ope adjutus sit, quidquam in medium proferre denegatur viro. Id unum evenire potest, quod Ptolemaeo et nostrae quoque Tabulae accidit, ut posterioris aevi nugator aevo antiquo recentius quidquam et suae aetati conveniens operi allinat. Sed alinit tantum, omnis connexio statim redarguit fraudem. Quae cuncta hic in universum dicta in Tabulae auctorem suam aetatem celare haud cupientem non cadunt; plane nudum sese offert, nostrae expositum investigationi. Qua de causa e collatione nostri Orbis Picti cum multivariis, quae procedente aevo in Romano imperio acciderunt immutationibus, in acquisitis, depertidis, ordinatis provinciis, novis subinde conditis urbibus de vera delineationis aetate iudicium ferre licet.

Eam normam Scheybius quoque in vestigando auctore sibi dictam esse voluit, parum felici tamen, nisi fallor, successu, versibus metatorum dum illectus cuncta in suum Theodosium convertat studia. Illum in ultimis iisque tranquillioribus regiminis annis magnum opus mensurationis per omnem Romanum Orbem suscepisse atque perfecisse sibi persuadet; idque eo certius, quod mentio urbis Constantinopoleos in Tabula post Constantini M. tempora eam compositam esse testetur, nec tamen fluxo imperii post eum statu ab alio nisi a Theodosio perfici potuerit. Alia insuper suffulcit sententiam geographica ratione. Britannia, Hispania atque Africae pars Mauritaniam complectens, desunt in Orbi Picto; omissae Scheybii opinione, quod eo tempore illae provinciae Romanis jam erant ereptae.

Curatius autem rei connexum inspecturo ex iis ipsis argumentis emergit contraria sententia. Turbatam post Constantinum M. rempublicam nullus non agnoscit, sed nec Theodosius tranquillitatem ex omni parte ei reddidit, ut quieta mensuratio per Orbem institui potuisset. Et qualis mensura

intra nonnullos menses, a paucis viris ad finem perducta? quam vel complura hominum in eo negotio exercitatorum millia conficere haud valuissent, de qua re superius dictum. Urbis Constantinopoleos mentionem ab homine medii aevi illatam esse, inferius patebit. De ereptis provinciis Britannia; Hispania al. Scheybius si siluisset, melius consultum foret suis rationibus, nulla enim harum provinciarum tum Romanis deperdita erat, et, si fuissent, inserendae tamen Tabulae, non Orbem Romanum tantum, sed universum Orbem Terrae complectenti. Cur desint id suo loco videbimus. Alias magni ponderis difficultates praeterit Scheybius silentio, ne Theodosius detrimenti quid capiat; lectoribus occurrent, dum Theodosio derelicto perquisitionem de aetate Tabulae continuabimus.

Ejus adpectus manifeste docet, nec Constantinum M. nec alium quarti seculi illum praecedentium imperatorum, auctores esse Orbis Picti. Galliarum enim divisionem, in septemdecim provincias a Constantino M., vel patre ejus Constantio distinctarum, Tabula non agnoscit, antiquam exhibens divisionem in Galliam Belgicam, Lugdunensem et Aquitaniam; et ne credas spatio membranae angustiore impeditum delineatorem hasce subdivisiones praeteriisse, singula gentium Gallicarum nomina calamo exprimere sollicita illi est cura. Idem ille Francos quidem agnoscit, nullos tamen in sinistra Rheni ripa, sic ut Batavi in patria antiqua quieti appareant possessores; cum tamen notum sit, Constantio Chloro in Galliis regnante Batavorum insulam subinde a Francis, quos postea Salios consuetudo appellavit, a Chamavis, tandem a Frisiis esse occupatam, Francorumque partem sedes in Belgico sibi paravisse, bello quidem saepius petitos nunquam tamen repulsos in suam Germaniam. His accedit, quod nullam per omnes imperii fines urbem exhibet Tabula, testantem de Constantini ejusque praedecessorum aevo. Itinerarium Antonini in Macedonia Diocletianopolim denominat oppidum priore tempore Edessam nuncupatam, Tabula Edessam habet, nullam Diocletianopolim. In eadem via Constantinopolim versus ducente Itinerarium agnoscit urbem Maximinianopolim, annotans locum anterieus vocatum esse *Pyrsoali*, scribendum fuit *Porsuli*, quod Tabula agnoscit nulla Maximinianopoleos facta mentione. Pulchre vides igitur, candide Lector, aevo quo Diocletianus Maximinianusve imperabant, Orbem Pictum esse antiquiorem. Quodsi tamen hisce non contentus ulterius documentum cupis, adi Pannoniam; cui provinciae in Superiorem atque Inferiorem divisae, teste *Sexto Aurelio Victore*, in Caesaribus c. 40, ab Imp. Galerio media inter utramque inserta est, in honorem uxoris *Valeria* nuncupata. Superiorem atque Inferiorem Pannoniam nobis exhibet Tabula, nullam autem Valeriam, ut certe delineatio Galerio sit antiquior; nisi credere malueris, scriptorem sub auspiciis aulae operantem neglecturum fuisse provinciam caesarea auctoritate institutam.

Ascendendum igitur ad magis a nobis remota tempora, nec ob confusas reipublicae res subsistendum nisi apud Aurelianum, qui tranquillitate post triginta tyrannos restituta, restaurator viarum auctorque Tabulae aestimari poterit. Sed repugnat ejus de Dacia provincia consilium, quam trans Istrum remotam atque quotidianis barbarorum incursionibus vexatam sine reipublicae detrimento ulterius defendi non posse intelligens, incolis Romanis in dextram Istri ripam reductis Gothis reliquit incolendam. Cujus rei factae nullum in Tabula indicium, quae summa fide Trajani delineat Daciam cum

omnibus viis, oppidis, coloniis; Aurelianum ergo praecedit aetate Orbis Pictus. Nec in aliam opinionem pronus scrupulum movebit objiciendo, recentiore auctorem, in memoriam pristinae Romanorum gloriae, hanc trans Danubium collocatam provinciam suo loco non movisse, praesertim quum spatium in barbarico vacuum caeterae delineationi Tabulae impedimenti nil intulerit. Non sine veri specie haec afferentem repellit secunda instituti pars. Incolis enim e Trajani Dacia deductis novas paravit sedes Aurelianus ad dextras Istri ripas inter utramque Moesiam, eamque novam provinciam appellavit *Daciam*; cujus fines ab occidente et oriente propius cognoscere cupienti Itinerarium Hierosolomitano auxilio est. Nullo modo autem nostra Tabula; Moesiam Superiorem illa monstrat eique haud interrupta serie adjunctam Inferiorem, nulla Daciae Mediterraneae mentione. Cui tam manifesta non satisfaciunt, satisfactorum est forsitan Arabiae desertum, in cujus gremio celeberrimum emporium *Palmyra* situm Aurelianus sic evertit, ut nullo tempore e ruinis nobis adhuc conspicuis resurgeret. Tabula tamen eam depingit florentem, cum viis per desertum ducentibus.

Retrocedendum igitur, si inveniendi nos desiderium tenet auctoris. Inter triginta tyrannos illum vix quaesiturus es, subsistendum ergo in *Alexandro Severo*, cujus severitas in deprimendis praefectorum atque militum delictis, propensus in literarum studia animus, ardor statum provinciarum penitus cognoscendi, omnia nos invitant ut diligentius inquiramus, sitne hic forte nostrae recensionis auctor; praesertim quum cognitum habeamus, eidem imperii vias publicas summae curae fuisse et Alexandri Macedonis, cui aemulabatur ut cognomini, exemplo Acheloum quendam destinasse scriptorem simul et actorum et itinerum a sese confectorum. Quae quidem *Lampridii* verba c. 45, de universo Romano imperio complectente Itinerario non satis liquide interpretari posse concedimus; animum tamen in viarum emendationem propensum cum prae se ferant, suspicio enascitur, sitne ille, quem quaerimus, recensionis nostrae auctor; praesertim quod nullum e geographicis rationibus desumptum impedimentum, qualia in imperatores recentiores pugnantia vidimus, Severo Alexandro obstet, omnia potius in eum consentiant; uno hoc tamen excepto, quod in Tabula inter caeteras barbaras gentes nullos conspicimus *Gothos*, quos tamen liquet, eo aevo jam ad Istri ripas cuncta vastantes comparuisse. Requiescamus igitur interim in *Alexandro Severo*, nec ut hucusque factum retrogrediendo, sed ab Octaviano Augusto progrediendo periculum facturi, inveniaturne unus alterve imperator potioribus munitus titulis.

Augustum, vel potius Agrippam, qui omnes per imperium jam stratas atque mensuratas vias, additis novis a se conditis, in unum complexum collegit, primum omnium Orbis Picti auctorem fuisse, superius expositum suisque documentis munitum fuit; cujus sine primitivo illo labore per multos annos producto nullam posteritas habitura fuisset totius orbis terrarum expositionem omni sua parte absolutam. Nostra tamen Tabula permulta primaevae illi statui aliena continens, diversam se ab Agrippae Orbe Picto manifestat. *Cottii* enim regnum in testimonium proferenti, quod ab Augusto concessum a Nerone sublatum in nostra Tabula depingitur, haud difficile responsio. Parvum regnum adscriptum est provinciae, antiquior tamen appellatio remansit montanae regioni per Alpes ex-

pansae; Alpes Cottias quarto seculo agnoscit adhuc Itinerarium Hierosolymitanum, parvique regni fines ex utraque montium parte assignat. Alia omnia in Tabula conspicua Augustum proximosque ejus successores respuunt. Britanniam enim operi insertam deprehendimus, cui sub Imp. Claudio demum Romanorum arma sunt illata. In superioris Rheni partibus Argentoratum, in pictura florentis urbis speciem ostendens, cum aliis vicinis oppidis Tabulae illatum videmus, cum primo seculo de Romanis in ea Rheni parte urbibus altum apud scriptores sit silentium. Nec Trajanum Hadrianumve Tabulae agnoscas editores, cum Trajani Daciam, Trajani coloniam Rheno appositam, et praeter alias Hadriani nomen praeferentes urbes eam quoque designatam deprehenderis, quam sub Adrianopolis appellatione hodieque in Thracia habemus. De Antoninis suspicandum esset auctoribus, nisi Franci, et Alemanni obstarent, de quibus ne in gravissimis quidem Marci Aurelii bellis Germanicis ulla unquam mentio.

Omnia innuere videntur *Septim. Severum* Imperatorem, quem elapidibus vias per Rhaetiam, in Syria in aliisve regionibus restaurasse scimus. Orbis Picti illum instituisse recensionem, id quidem nullus refert scriptorum; quum tamen Tabulae pictura ejus consentiat aevo, dum Francos nobis ostendit paullo post Gallis incursionibus graves, et Alemannos, quibuscum Severi filius Caracalla multum sibi fecit negotii, quidni in hoc subsistamus imperatore? Suffulcit sententiam silentium Tabulae de *Gothis*, quos sub Caracalla primum regiones Istro adhaerentes infestasse novimus, in Severi vita autem nec Herodianus nec Spartianus de Gothis quidquam memorant, certo indicio, hunc populum eo demum tempore ex interioribus Germaniae regionibus ad Istri penetrasse ripas.

Disceptatio igitur de honore editae novae recensionis inter *Septim. Severum* et *Alexandrum Severum* Imperatores fluctuat; intervallum temporis ambo Augustos; qui palmam editae Tabulae invicem sibi eripere contendunt, disternans non nisi undecim est annorum; Severus enim obiit anno a Chr. nato 211; Alexander Severus imperii habenas tenuit ab anno 222 ad 235. — Mea quidem sententia auctor declarandus est *Alexander Severus*. In causa, quod tam audacter pronuntiem, sunt *Persae*, quos, per complura secula a Parthis suae provinciae montibus seclusos, anno circiter 226 imperium amissum recuperasse omnes pariter scimus. Ardens fervor in subita immutatione rerum enatus nullibi inter moderatae deliberationis sese continet fines, ad majora successu extolluntur animi. Sic et apud Persas, devictis Parthis vindicatum sibi imperium non sufficiebat; de monarchia, qualis sub antecessoribus quondam fuerat, restituenda subibat cogitatio. Hinc bellum contra Romanos, quibus eo maxime tempore imperabat Alexander Severus. Impigre is in militiam progressus, teste Lampridio acie repulit Persas, Herodiano auctore rem gessit minus felici successu; id tamen liquet, provinciam Mesopotamiam ab hoste invasam per eum esse defensam. Et nunc adi segmentum Peutingeriae Tabulae undecimum. Parthos, de quibus recentiores scriptores nil amplius memorant, in ea conspicis possessores urbis Ecbatanae in Media, nomine tamen minoribus litteris expresso. Persae contra a Mesopotamiae vel potius Babyloniae partibus ad Indiae fines usque ante oculos habes expansos eosque quam maximis literis quadratis expressos. Ctésiphon, caput quondam Parthorum regiaque sedes, Per-

earum adscribitur ditioni, cui et adjunguntur meridionales Mesopotamiae partes, quae provincia tam sollicita cura, quam nulla alia imperii, delineatur, ut omnes ex Euphrate deductas canales atque fossas quo loco transeundae erant, pictura exhibeat. Nec ex Itinerario Antonini Mesopotamiae expositionem omnino omittente, nec a quoquam scriptore, tam distinctam ejus provinciae cognitionem, qualem e Tabula accipimus; ut vana non sit opinio statuenti partem esse Itinerarii ab Acheloo editi, quo Alexandri Severi itinera exponerentur, teste *Lampridio* in *Alex. Severi vita*, c. 45.

Quae cuncta minus conveniunt in Imp. Severum, non Persas sed Parthos in bellis suis habentem adversarios; in unum quadrant Alexandrum Severum. Et ne Gothorum ommissa mentio obstet sententiae, monendi lectores videntur, eos suo loco adesse, nec tamen Gothorum, sed *Getarum* appellatione. Utrumque nomen a Romanis scriptoribus passim confundi satis notum est; praecipue tamen id factum primo quo Gothi apparuerunt tempore, quod iis ipsis locis Istrum versus proruperunt, quo antea Getarum sedes erant, e *Spartiano*, in *Caracallo*, c. 10 discas, testante: „*Gothos* „tunc *Getas* dictas esse.“ Idem et Tabula indicat, Getarum lateri adjungens Dacos, quae ore Romano Getarum appellatio fuit antiqua; Getas igitur a Dacis distinguit. Quibus omnibus ductus Orbis Picti nostram recensionem inscribo *Alexandro Severo* eamque confectam esse circa annum 250 mihi persuadeo; num et aliis persuasurus sim id e doctorum dependet judicio. Curiose per multos annos perlustrando singulas Tabulae membranas nihil certe oculis meis occurrit sententiae repugnans, omnia in hanc consentiunt aetatem. Quodsi eruditorum quisquam habeat, quae, assertis meis repugnantia, in omnia alia nos deducant, ea candide ut mecum communicet precor; ut aut dubia solvere, aut veriora edoctus meam in melius mutare sententiam possim.

S e c t i o III.

Disquisitio, num unicum quod Vienna asservatur exemplum genuinum sit archetypon Orbis Picti, cujus recensionem curavit Imp.

Alexander Severus

Ab opere quasi feliciter peracto discedentem ad novum ab integro instituendum retrahunt laborem permulta eaque satis gravia, junctis testantia viribus, non tertii seculi sed medii potius aevi partum esse universam nostram Tabulam.

Vir publica auctoritate magnum opus moliens geographicae cognitionis expertus esse nec debuit nec potuit, cum ejus errores omnes alios in errorem duxissent; nostra tamen Tabula non tantum scriptoris rei geographicae summam ignorantiam, sed et orthographiae inscitiam simulque negligentiam per cuncta delineationis segmenta testatur; quo miserrimo modo e scriniis aulae omnino non prodit volumen usui imperatorum destinatum. Quae ut distinctius dijudicentur, quosdam maximi momenti naevos in Tabula conspicuos in medium proferam.

In segmento primo Liger fluvius repetita vice *Riger* et Batavorum regio *Patavia* inscribitur; urbis *Nemausi* nomen in *Nenniso* invenis mutatum; in Africae partibus pro *Sitifi* habes *Steifi* colonia. Segmento II. caput Galliarum invenis *Lugdune*, cum scribendum fuisset *Lugduno*, cui voci additum: „usque hic legas“ pro *Leugas*; in proximo loco urbs *Vienna* nominatur *Vigenna*; Germaniae gens *Bructeri* *Burcturi* audiunt. Segm. III. *Rhaetia* provincia nomine caret, cujus tamen pars meridionalis per *Mediam Provinciam* rite indicatur. In Gallia Cisalpina literis uncialibus vides expressum *EGI* — et paulo altius continuatum nomen *OTRASPA*, ut manifestum sit hisce confusis literis inclusas esse voces *Regio Transpadana*, atque suspicio enascatur, scriptorem aliud vetustum ad manus habuisse exemplum, cujus literas aetate corruptas enucleare haud valuerit. Ejusmodi vitia continuantur in segm. IV, quo *Bleboriaco* invenis, ubi urbs *Lauriacum* scribenda fuisset; eadem maxima ignorantia *Istria* peninsula nominatur *Isteria*, *Etruria* *Etrura*, *Campania* *Capania*, *Lucania* *Luccania*, *Brutius* ager *Brittius*, *Aegeum Mare* *Igeum*; *Thracia* provincia literis quadratis inscribitur *Trhacia*.

Sed quid patientia tua abutar, Benevole Lector, ulterius enumerando ejusmodi sphalmata, qualia ne dicam auctoritate publica scribens, qualia nullus vel imperitus Romanus committere potuit, quia ejusmodi denominationes ignotae erant antiquo aevo; probe vides, hos naevos operi infusos esse a sequioris aevi homine. Id praeterea notandum, scriptorem non ignorantia tantum, sed et summa negligentia peccasse, qui dum praecipitato labore operis absolvendi studio teneretur, multa commisit facile sibi evitanda. Prius quam inscriberet nomina artifex picturam absolvit simul et viarum lineas cum incisuris, quibus locorum vocabula erant adjungenda; quam negotii partem satis scite atque impigre absolvit. In adscribendis autem locorum appellationibus nimium quantum properantia hallucinatus est, non tantum vitiose interdum scribendo nomina distantiarumque numeros, sed plane omitendo, quae adesse debere per linearum incisuras indicatur; in prioribus segmentis id rarius, in posterioribus, ubi properandum sibi duxit, saepius occurrit; ut partem saltem ejusmodi peccatorum ejus imputes negligentiae. Quin et urbium picturis accurate delineatis sua nomina passim deesse deprehendis. Sic in Italia coloniae figuram appellatione carentem inspicienti e viarum directione erudendum est *Canusium* insigniri; sic in Asia, quam dicimus *Minorem*, magnae urbis cum suis muris atque turribus satis eleganter expressis figuram pictura exhibet; nomen urbis deest; e viarum in illam concurrentium ratione scimus *Ancyram* indicari. Plures in eodem segmento urbium nomine suo destitutarum delineationes occurrunt, quarum denominationem e viarum directione eruere licet. Adsunt autem et quaedam aliae in ultimis orientem versus partibus, quarum neglecta appellatio difficiliter divinetur. Cuncta testantur scriptoris posterioris aevi negligentiam, forsitan et simul, transcriptorem antiquas ad manus habuisse membranas lectu difficiliores, de qua re inferius.

Alia insuper nostrae Tabulae specimina haud dubie produnt, scriptorem fuisse christianum et quidem medii aevi christianum. In Arabiae desertis Aegypto proxime: „Desertum ubi quadraginta annis erraverunt filii Israel ducente Moyse.“ Eidem loco adpictus mons cum inscriptione: *Mons Syna*, additaque explicatione: „Hic legem acceperunt in Monte Syna.“ Alexandri Severi aetate Ta-

bulae haec inseri non potuisse nullus negabit; Theodosio imperante inseri potuerunt, quum et ipse christianus esset et christianorum religio per omnes imperii partes vigeret. Qua de re Scheybins huic innititur testimonio, quo Theodosium Tabulae auctorem fuisse probetur. Resistunt autem sententiae non tantum de aetate Tabulae superius exposita, sed et hic ipse locus. In omnibus vicinis partibus nil nisi paganorum cultus tibi occurrit; Delta Aegypti huic inscriptioni cohaerens ostendit templa nominibus insignata *Serapeum, Iseum etc.*, nullum christianorum templum; e latere Montis Syna templi figuram habes, cui inscribitur: *Ad Dianam*. Putasne imperatorem christianissimum ullo modo concessurum fuisse, ut sacra profanis apposita polluerentur? Scriptor antiqua delineatione non turbata haec verba in eruditionis suae testimonium apposuit. Eodem modo et *Mons Oliveti* Hierosolymorum urbi adjungitur.

Medii aevi christianum fuisse scriptorem id alia indicant. Segm. V urbis *Romae* effigiem circulo inclusam offert, sed qualem? Throno insidet Imperator thorace munitus, magna corporis parte opertus amplissimo pallio, in dextra globum mundi, sinistra sceptrum tenens, caput tectum corona ea, qua reges hodieque utuntur, figura; e latere sinistra clypeus rotundus affixus throno. Figura et ornatus Romanis incognitus, medio aevo ubique usitatus; imperatorem effinxit pictor qualis a papa *Romae* coronandus conspiciebatur.

Aequae insignis Segm. VIII alia se offert pictura qua orientalis imperii caput *Constantinopolis* ornetur. Eodem quo *Romae* modo throno insidentem vides viri figuram cum thorace et pallio, nec tamen coronatam, sed caput tectum casside alte crispata, qualem medii aevi equites aurati gestare solebant, sinistra manu hastam cum clypeo rotundo tenet, dextra indigitans statuum altissimae turris apici instantem, ornatam globo in dextra, hasta longissimae mensurae in dextra manu. Ejusmodi figuram Romanis haud convenire in aperto est, nec enim eum habitum, nec galeas plumatas, nec rotundos usui habebant clypeos. Et quo minus posterioribus Byzantinis imperatoribus huic ornatui simile quidquam fuisse cogites, impediunt quas habemus eorum effigies, alio sumptuoso habitu indutae, caput corona singulari forma tectae. Homo igitur medii aevi latinus artis suae specimen editurus simul suam prodidit aetatem. Vt enim formae minime quadrant in imperatorem graecum, ita omnino conveniunt equiti germanicorum populorum; temporis spatium indicant, quo Balduinus Flandriae comes imperatoribus sede imperiali deturbatis potitus est Constantinopoli. Qua de causa figura throno quidem insidet nec tamen coronata, nec globum manu tenens. Initium hoc latinorum regnum sumsit a. 1204, amissum a. 1261 per Graecorum conatus. Eodem igitur intervallo scriptor suam absolvit Tabulam. Ne prolata levioris putentur momenti, diligentius picturae locum consideranti patebit, ad omnia alia in archetypo eum destinatum fuisse. Urbs *Perinthus* haud procul abest, antiquum nomen in Tabula retinens, quo Alexandri Severi aetate appellabatur, posteriore tempore *Heraclea* cognominata. Viae ab ea urbe Constantinopolim ducentes delendae erant, (et maxima sua parte deletae sunt, sic tamen ut vestigia remaneant,) ut figurae atque nomini satis amplum enasceretur spatium. In archetypo nomen urbis fuit *Byzantium*, coevum *Perintho*, quo deleto scriptor substituit *Constantino-*

polim, ea tamen inscitia, ut agri *Byzantini* uncialibus literis expressi mentionem ex antiqua membrana suo loco reliquerit. Is ager ab Imp. Severo Byzantinis irascenti dono datus est Perinthiis; mox nomen cum dono evanuit; seculo enim quarto insertum scimus provinciae quam *Europam* appellabant, insignitam jam Constantini M. tempore per Itinerarium Hierosolymitanum. Picturam igitur archetypo non adfuisse, sed illatam esse ab exscriptore vides, et quidem medio aevo, aspectu figurae id indicante, quod inferius, dum scriptor suam indicat aetatem, manifeste apparebit.

Alia insuper in Segm. X adest pictura crucigerorum expeditiones innuens, urbis scilicet *Antiochiae* capitis Syriae, cujus tam frequens in hisce bellis mentio. Excelsi pontis multis innixi pilis structurae imponitur thronus quam maxime decoratus; huic insidet mulier scipionem dextra tenens, capite redimita ornamento capillari, cui parva corona imponitur, circumdato nimbo sanctorum; uno verbo ut dicam ea ipsissima figura, qua Dei Matris effigiem in picturis antiquioribus expressam conspicimus. E sinistra, inferius tamen, assidet puer nudus, cujus caput, benedictis instar, sinistra manu attingit. Sanctam Mariam simul et Jesum Christum indicari vix est dubium. Pilarum structura pontem ferreum indicat, saepius memoratum in hujus urbis obsidione. Num autem Dei Matris cultus *Antiochiae* quam aliis locis insignior fuerit, id non satis mihi liquet. Figura decoravit urbem christianus, quod sua aetate eam adhuc tenebant christiani, brevi post amissam atque destructam ab Aegypti Sultano anno scilicet 1268, teste *Sanuto* in secretis fidel. cruc. L. III. P. XII. c. 9.

Scriptorem igitur suam aetatem in delineatione ostendisse, et ostendere quidem voluisse, abunde patet. Pateret, etsi nimbo eam conatus esset obtegere; proderet eum suo seculo usitatum scripturae genus, quod nullus unquam scriptor data licet opera e suis literarum ductibus ita removet, ut indicia intelligenti omnino sint detracta. Saeculum XIII haud dubie literarum characteres constanti tenore adhibiti per omnes Tabulae partes indicant. Id per singularum formas literarum penitus enucleare animus cum esset, compressi impetum, nil adjuvantem rei diplomaticae peritos, (hi enim solo intuitu eadem ac ego sentiunt,) taedium afferentem ea cognitione expertibus. Ut tamen hi quoque quandam in dijudicando normam habeant, monebo, antiquis temporibus moris non fuisse, ut literae i vel punctum vel virgula imponeretur; seculo XI demum quidam scriptores usi sunt virgulis, ubi duo ii juxta positi lectionis sensum impedire videbantur; qui mos paullatim ita invaluit, ut recentioribus seculis eum pro regula assumptum deprehendas; simplici i virgula sec. XIII addita est, rarissime tamen; per sequiora secula semper. In Tabula duplici ii suae virgulae additae, simplici i denegatae sunt. — Literam *ae* antiqui eodem quo nos modo denotabant, vel utrasque literas contrahebant in unam; simplex *e* pro *ae* cum inveneris, id scriptoris imputes imperitiae. Sec. XII saepius *e* pro *ae* occurrit, quam ut negligentiae id amplius vitio vertere queas; Sec. XIII. idem mos ita invaluit, ut rarius litera *ae* tibi occurrat, Sec. XIV. et XV. usus obtinuit, ut semper *ae* per simplex *e* exprimeretur. Sic et nostra Tabula literam *e* habet, ubi *ae* adhibenda esset, si excipias perpauca vocabula, in quibus antiquam secuta membranam literas *ae* rite scribat. Id vide e. g. Segm. VII. in nomine *Venedi Sarmatae*, cum ante et postea idem nomen scribatur *Sarmate*.

Ex his seculi XIII. indicibus difficultas enascebatur *Scheybio*, qua ne suus Theodosius e medio removeretur periculum imminebat; satis tamen miro remedio rem expedivit, affirmans, non ex regulis diplomaticis dijudicandum esse de scripturae aetate, sed potius regulas reformandas esse ad normam a Tabula nobis ostensam, ita ut quas in ea deprehendimus formas, eas seculi quarti genuinas fuisse judicemus. Bonum sane praeceptum, si de Theodosio auctore constaret; rejiciendum autem, cum disquisitio diversissimum manifestaverit.

Nec de tempore tantum, sed et de patria sua nos reddit certiores scriptor. Evolventi Segm. II. atque III. occurrit e sinistra Rheni parte *Silva Vogasus* (les Vosges), e dextra *Silva Marciana* (der Schwarzwald), cujus utriusque nomen antiquum, quod vides in *Caesaris* Bello Gall. IV, 10, *Vogesum* montem nominantis, et ex *Ammiano Marcell.* XXI, 8, *Marcianam* silvam indicante. Sed per montium tractum mirans conspicis arbores varii generis proceras, alte assurgentes, ramis foliisque partim acuminate, partim frondosis exornatas nitideque depictas, ita tamen ut proportionem universo Orbi convenientem longe excedant. I nunc singula Tabulae segmenta accurate perlustraturus, nulla parte videbis silvam denominatam, multo minus ea diligentia et arte depictam, quae intuentis adtentionem data opera in se convertat. Suspicio movetur vel nolenti, scriptorem singulari studio immortalatum esse regioni, quae sibi patria esset. In Rheni superioris partibus degebat auctor, quotidie in conspectu habens utramque silvam nimia mensura a se expressam.

Quae tamen cuncta ne parum intellecta inspicientium oculos effugiant, ipse in medium progredditur monachus, in *Annal. Colmar.* (apud *Vrstisium* P. II, p. 8) de semet ipso testimonium exhibens: *Anno 1265 mappam mundi descripsi in pelles duodecim pergameni; conatum suum omni jure satis gravem existimans, ut absoluti operis mentio annalibus publicis insereretur. Nomen suum in nulla Annalium parte prodit auctor, sed et in obscuris versanti gratias habeamus conservatori monumenti antiqui egregii, sine dubio perituri, ut et periit, nisi monachus auxiliatrices manus, utinam diligentiores quoque, praebuisset emorienti. Monachi mappam eandem esse cum Tabula a nobis *Peutingeriana* dicta in conspicuo mihi esse videtur, minus ex eo quod in terris Rhenanis absoluta in eisdem regionibus posteriore aevo primum venalis exstiterit, id enim casu evenire potuit; sed quod utraque delineatio seculum XIII prae se fert, et quod utraque in duodecim pergameni membranis Orbem Terrarum complectitur.*

Scheybius aliam secutus opinionem, longe diversam monachi esse *Mappam Mundi* a *Peutingeriana* Tabula contendit. Praecipuum illi diversitatis argumentum in eo, quod illa per *duodecim* membranas sit continuata, „cum haec nostra Tabula *undecim* fere aequalibus et integris pellibus, nulli libi deficiente termino vel limbo, compacta sit.“ Egregium sane documentum, si fides staret dicto. Consideranti autem Tabulam subit cogitatio, haecne asseveraverit editor in praedilectionem *Theodosii* dissimulans sibi nota, an occaecatus non viderit omnium oculis patentia. Inspicientem enim sive autographon *Viennense* sive et nostram inde desumptam delineationem primo intuitu non fallit, deesse in

Tabula unam eamque omnium primam membranam. Marginem ab initio picturae vides satis latum, cui agglutinatum olim fuit alia eaque prima membrana; in fine Tabulae similis aspectus non adest, finit pictura cum ipsa pelle, ut alius agglutinandi folii spatium plane denegetur. Huic primo folio, quo pro dolore caremus, insertae erant Britanniae, Hispaniae, Mauritaniae delineationes. Si in re tam manifesta dubitandi locus esset, haesitantem initium primi quod habemus folii adire juberem, ut literis quadratis inscriptam posteriorem partem nominis ITANIAM legeret, cujus pars prior AQV deest, inscripta scilicet primae nobis deperditae membranae: AQVITANIA enim legendum esse propter expositionem provinciae ejusque urbium obvium est. Idem et in Britannia deprehendis cujus partem tantum ostendit Tabula. Praeterire si voluisset auctor hujus magnae regionis expositionem, tacuisset simul de parcellis nobis exhibitis. Dubio igitur caret, primam nostrae Tabulae deesse membranam, eamque ut et illam Monachi Colmariensis, duodecim olim constituisse membranarum.

Ne autem, lector Benevole, incertus haereas, cum de *undecim* membranarum nos pronuntiantes legis, in nostra editione *duodecim* folia ad manus habens, monendum, Scheybium undecim illas membranas in duodecim distinxisse sectiones, ne in nimiam latitudinem excrescerent folia chartae impressa.

S e c t i o IV.

Monachus seculi XIII. transcriptor fuit Tabulae, nec vero ejus auctor aestimandus.

Opus tam insigne, Orbem Romanum non tantum, sed omnem veteribus cognitum Terrae Orbem complectens non nisi medii aevi partus aestimetur? Omnis nostra fiducia genuinae antiquitati innixa recidat incassum? Boni dii averruncent nefasta verba! Antiquum manibus terimus Orbem Pictum, qualis in Imp. Alexandri Severi usum olim est emendatus. Non auctor, sed exscriptor fuit monachus Mappae antiquae, magna sui parte injuria temporum jam lectu difficilioris. Quum vel librorum compactorum ex tanto annorum intervallo vix ac ne vix quidem ullus ad nostra secula salvus pervenerit, quid existimandum de volumine duodecim membranarum, evolvendo ipso in dies deteriore facto? Literae subinde usu obscuriores redditae paulatim evanescent, deperiturae cum ipso opere nisi subveniatur. Ea est causa cur transcriptori tantas debeamus gratias, cujus archetypon mille annis gravatum ulterius conservari non poterat. Renovavit igitur opus, invita quidem Minerva, praecipitato labore, ipse parum instructus vel antiquitatis vel geographiae cognitione, conservavit tamen; nec omnia scripturae inhaerentia vitia ejus inscitiae et negligentiae assignanda sunt, plurimam partem difficultati potius e vetusta membrana enatae adscribamus.

Exscriptorem vetustae delineationis esse monachum, id non solum e pauculis illis, ubi et suae eruditionis specimina edere voluit, sed e quocumque non dicam folio, verum e cujusvis serie itineris facilli-

me deprehenditur. Repugnantem huic asserto vix autumo inventum iri, potiora tamen probationi inservientia delibare potius quam prolixa expositione obtrudere legenti conabor.

Quo miraculo virum mediæ aevi, ab aliis, nisi quæ monasterium suppeditaret, subsidiis literariis seclusum, tantam doctrinae fontem sibi reperisse credas, ut suo Marte perficere potuisset multifaria cognitione abundans opus, quod nullus sui temporis eruditus, quod nec nos, multo majore antiquitatis suffulti peritia, ullo modo tam subtili valeremus ratione componere? Sed fac habuisse illum, quæ nullus sui seculi habuit, vetusta in posterum deperdita egregia monumenta, quorum adjumento arduum opus enascetur; in cohaerentem tamen artificiosam seriem omnia et singula digerere monachi ipsius vires mirum in modum superasset, ut et nostras aequè superaret. Dicas fortasse, Itinerarium, quod appellamus Antonini, in auxilium vocasse scriptorem, cujus vias, nominibus atque numeris additis, in delineationis formam redigeret, ut non legenti in libro sed inspicienti picturam cuncta ordine debito apparerent. Sed nec adhibuit Itinerarium nec adhibere potuit; huic enim scopo suo satisfactum putasset indicando memorabilia loca, nulla habita ratione nec montium, nec fluviorum, al. Tabula contra minutiores quoque indicat vicos, quorum nomina partim per ipsam tantum innotescunt. Haec in usum suum servientia colligere unde poterat mediæ aevi vir? Multas praeterea vias in Itinerario obvias omittens alias inseruit operi sibi tantam cognititas, quas vana figmenta haud esse, sed adfuisse olim instituto per varias regiones scimus examine. Nomina insuper loco convenienti adjungere neglexit monachus; id quod accidit crebrius exscriptori nec tamen auctori, qui quo loco per incisuram viae indicat nomen adesse debere, nomen simul adjungit; vel cum nomine simul et indicium nominis praeterit; quorum neutrum tamen factum in Tabula.

Concedenti tamen, quæ concedenda nullo pacto sunt, satis fuisse instructum monachum iis quibus nos caremus subsidiis, ut inde magnum opus pertexeret, aliae occurrunt difficultates. Omnes viae ab occidente orientem versus tanto artificio in suum sunt redactae ordinem, ut nulla aliam impediatur, nullus datus sit confusio loci; ejusmodi nitidam congeriem monachus cellae inclusus ad finem optatum perduxerit? Id periculum ne celeberrimus quidem peregrinator suscipere ausus esset, post omnes Hispaniae aequè ac Orientis Africae peragratas regiones, exploratum desertorum Getuliae situm; multo minus vir ejus aevi, cujus in geographicis peritiam ex eo dijudices, quod Riger pro Liger, Ninnisus pro Nemauso scripsit.

Sed reliqua potuerit monachus, certe non eo artificio potuit suum Orbem ad finem perducere, ut nulli nisi tertio seculo et ejus quidem primae conveniret parti. Quae subtilitate evitasset, quae in solum Augustum ejusque proxime sequentes successores quadrant? Quae ratione nullam operi intulisset mentionem viarum, provinciarum, urbium, post Alexandrum Severum per Romanum Orbem originem suam ducentium? Id scriptor coevus efficit, notans quæ suo seculo adsunt; mille annis recentior scriptor, rei peritissimus ut sit, sexcentis modis propositi sui oblitus illaturus est delineationi non inferenda.

Ex hisce aliisque, multis modis occurrentibus, rationibus manifestum est, monachum vetustis usum esse membranis, quarum transscribendarum in se suscipere curam eamque non satis sollicitam, quum vitiis nostram Peutingerianam Tabulam scateri videamus. — Quae cum ita se habeant, vilipendendum declaremus laborem parum eruditi monachi, antiquum quidem sed vitiis inquinatum ad nos transferentis opus? Ne proferas, Benevole Lector, ejusmodi in studia delinquentem sententiam. Naevi licet occurrant, est tamen Tabula, eritque quoad literae florent, praestantissimum antiquitatis studio deditis adminiculum, quo carere velit nullus cuivis Europae nationi adscriptus; omnibus enim atque singulis ostendit qualis fuerit Romani Imperii effigies florentissimo reipublicae statu.

Quae ut distinctius elucescant, observationes de Tabulae proponam structura, mox de utilitate inde ad nos emanante, de comparatione cum Itinerariis scriptis, denique de vitiis eoque in melius redigendi methodo agam; non multum novi adlaturus eruditis iter monstrante haud egentibus, aliquantum forsitan operae navaturus Romanorum re geographica imbui concupiscentibus.

S e c t i o V.

Methodus in exarando Orbis Picti archetypo adhibita, indeque ad nos redundans utilitas.

Mappam geographicam talem, quali nos utimur, ubi quivis locus suo situ septentrionem meridiemque versus apparet, ubi regiones veram sui imaginem intuenti monstrant, Romani non effinxerunt, nec, si voluissent, effingere potuissent. Augusti enim aevo, cum et latitudinis vera ratio non nisi in perpauca urbibus esset cognita, et longitudinis rite determinandae omnia deessent adminicula, chartarum nostra methodo delineandarum denegabatur facultas; id quod perspicuum est e vetusta Eratosthenis terrae delineatione. Qua ex causa aliud necessario erat excogitandum artificium, cujus ope viarum directiones contemplantium oculis uno intuitu haud interrupto ordine subjicerentur. Secundo seculo prodierunt quidem Ptolemaei universi Orbis atque singularum provinciarum delineationes, mathematica ratione satis artificiosa constructae, stupendum opus, inauditam rem illi aevo exhibens, Romanorum tamen Mappae nihil utilitatis adferens. Elaboratum enim olim Tabulae opus omnino destruendum immensoque labore reficiendum fuisset novis illud hisce chartis adaptaturo; vano insuper conatu. Ptolemaicis enim, praestantissimis scilicet ejus aetatis, chartis vias romanas illaturus ab irritumox incepto lassatus recedet, quod talem in hoc genere perfectionis gradum omnis antiquitas nunquam sibi acquisivit, quali astronomiae studium nos beavit recentiores. Nostris mappis geographicis illae Romanorum viae inseri possunt, Ptolemaicis nullo modo.

Alia igitur excogitanda erat inventio, qua, omni de figura provinciarum, de situ urbium cogitatione abjecta, viarum tantum ratio haberetur; inceptum difficultate haud carens, cum omnium itinerum origo

e continuatione viarum per Italiam antiquioribus seculis stratarum derivaretur, eaeque diversis directionibus ductae saepissime sese intersecarent, quae res confusionem lineis itinera indicantibus necessario erat illatura per omne imperium continuatis. Unicum mali erat remedium, quod Agrippa adjuvantibus suis mensoribus adhibuit, dum omnes maximas primi ordinis vias, per universum imperium continuatas, haud interrupta serie, ab occidente incipiens ad ultimum perduceret orientem. In hasce primi ordinis vias omnes alias suo loco quamque derivavit, quae vel ex Italia vel ex aliis provinciis eas versus tenderent, inseruit et transversas minores vias ab una urbe ad alteram deductas, quibus universalis connexio omnium enascebatur. Has qui inspicit non satis perscrutans universi operis rationem, monstra oculis obversari non sine causa putat; ac dum alias, quarum directio per situm locorum definita, septentrionem versus tendere deberet, in Tabula deprehendit vel ad orientem, vel et ad meridiem vergere, cuncta summa confusione laborare existimat. Re autem diligentius considerata ordinem ibi inveniet, ubi confusionem incusavit. Directionis, num scilicet meridiem septentrionemve versus transversa via ducatur, nulla cura Tabulae, in hoc unum intenta, ut viae ab ea urbe, a qua incipere debebant, inciperent, utque eo ipso nec alio loco finirent quo alii viae incidebant, sic ut nulla unquam via aliam impediret intercursando; hinc necessario viarum directiones tortuosae adspicientis oculos offendentes, sed summa cura exquisitae, ita quidem, ut si quid in illis mutare animus esset, confusio statim enasceretur. — Putasne hanc curate pensatam mappae perficiendae rationem hominem mediæ aevi excogitare sibi potuisse?

Eadem methodus facilitatem simul praebat in mappa immutandi, quae progrediente tempore in viis mutata erant. In viis maximi ordinis rarius quidquam immutabatur; ubi nova urbs surgeret, ea inserebatur delineationi; major varietas in viis transversis, quarum quaedam successu aevi omissae, quod parum utiles inveniebantur experientia docente, aliae novae construebantur. Id nihil damni afferebat magno operi, cui facile insererentur novae, eximerentur antiquatae; universo ordini nulla inde turbatio; sic ut primus ille ab Agrippa constructus Orbis Pictus idem semper maneret, illatis minoribus illis immutationibus. Quum tamen progrediente aevo numerus emendationum Orbi Picto crebrius illatarum opus tandem gravaret, ut obscuritas, quin et errores inde provenire possent, nova Tabulae opus erat recensione, id est universi Orbis Romani nova delineatione, quae omissis obsoletis non inferret, nisi quae recentiori tempore convenirent. Earum instituta simul spatium prodibat, cui posteriores immutationes intercalari quirent. Ea est causa, cur recensionem, qua nos fruimur, adscribamus Alexandro Severo, utpote ejus solummodo aetati adaptatam. Noli tamen de imperii Romani mensuratione cogitare; nova enim dimensio quantum laboris, quantas impensas! eam imposuisset suscipienti inutiles conatu. Quam enim praestantiorem illa quae ab Augusto instituta erat, methodum adhibere potuisset operi perficiendo? Cujus mensoris opera de novis urbibus earumque invicem distantibus, tulisset illis certiora, quae jam inserta erant antiquae Tabulae? De nova post Augustum Orbis dimensione rejicienda est opinio. Quae omnia superius jam monui, hic vero repeti, ut penitus intelligerentur, quae primo expositionis ingressu obscuriora videri poterant.

De viarum ratione dictum cum sit, *fluviorum* insuper delineatio in Tabula haud sine quadam monitione praetereunda videtur, ne vitia, quae non adsunt, illi imputetur. Maximorum fluviorum de-

cursus justo suo ordine a fontibus ad ostia, quibus in mare sese exonerant, vides depictos, simulque et singula oppida fluvio adjacentia, tam attenta cura, ut certus sis, locum, in sinistra parte collocatum, situm non fuisse in dextra, ponte transiri flumen, quo transeundum esse Tabula notat; id quod deprehensus es praecipue in maximis imperium terminantibus fluviis. Rheni cursum, e. g. sequitur delineator ab ostiis fluminis retrorsum, nusquam declinans a ripa sinistra, nusquam transcendens in dextram, usque dum perventum sit ad Helvetiorum oppidum Tenedo; ibi designat transitum linea in transversum ducta, simul etiam in continuata via locum, quo primo in suo decursu transcendendi poterat Danubius, cujus dextram ripam abhinc nullibi relinquens via magna fluvio adhaeret ad ostia usque in Pontem Euxinum. Per quam longissimam seriem semel tantum transcendens in sinistras Danubii partes indicat, in Trajani scilicet Daciam, ubi omnino aditus in Trajani provinciam erat indicandus. Eadem illa deprehendimus sequentes Euphratis fluenta, Nilumve vel Padum, aliosque maximos fluvios; nulla parte oppidum dextrae ripae applicatur, cujus situm in sinistra novimus.

Sed cave eandem normam tibi fingas adhibitam in minoribus fluviis; id cum feceris multum aberrans a vero injuste inculpaturus es erroris negligentiaeve delineatorem. Hosce omnes depingit Tabula, interdum nomine quoque apposito in hunc tantum usum, ut indicetur, eo loco fluvium transeundum esse, caeterum de vero ejus cursu haud sollicita. Saepius fluvium eo deducit quo deduci non deberet, eum tantum in finem, ut oculis subjici possit, et hic pontem esse, quo transiretur amnis; mox idem non amplius fluvius est, sed longe alius in loco denotato transcendendus; id enim solum Tabulae curae, ut ubi fieri possit transitus exprimat.

Haec vitiosa esse quis non videt? nec tamen artifex aliam potuit adhibere methodum viarum describendarum. Omnes enim amnes, et veram simul eorum directionem in delineationem assumere, id vero nec spatium nec viarum ratio permisisset, et immutationes paullatim in Tabulam inferendae summae confusio locum praebuissent, omnis pictura corruisset. Id ita se habere, vel uno allato exemplo patebit. Aenus magnus Rhaetiam atque Noricum dividens fluvius transeundus erat in via ab Augusta Vindellicorum Tridentum versus, transeundus etiam ad Pontem Aeni in via ad Juvaviam ducente. Haec duo itinera in Tabulae Segm. III magno inter se spatio distant; qualis confusio, si Aenus fluvius ad loca, ubi transcendendus erat, longo atque tortuoso meatu Tabulae fuisset obductus. Horum nihil ergo facit auctor, in via ad Tridentum alium substituit amnem; ad Pontem Aeni fluvius quem nomen indicat, non adest, nec delineari potuit, ne decursu suo Athesin fluvium in medio positum intersecaret. — Quum igitur in Tabula fluvii transitum adpictum invenis, auctori fidenter credas; veram fluvii directionem, saepius nomen quoque, discas aliunde, non e Tabula.

Huic suo proposito strictissime adhaerentem videbis delineatorem, haud interrupto ordine, dum progreditur orientem, adeo ut et Italia, e qua terrae ob situm omnes viae septentrionem versus ductae erant, aequae ac aliae provinciae ab occidente ad orientem extenderetur. Eodem tendentes montium quoque tractus appinguntur, sed altissimorum tantum, Alpium scilicet, Apennini al. interdum appella-

tione neglecta (nisi exscriptoris socordiae id potius imputare velis), sollicita tamen annotatione quo quisque loco transcendendus sit. *Silvarum* mentionem picturamve nulla operis parte obviam habes, nisi *Vogasum* et *Marcianam silvam*, de quibus superius sermo fuit, pro genuinis agnoscas.

Omnis cura cum conversarit in rem militarem, non tantum fluvios atque montes depingit *Tabula*, sed et locorum singulorum conditionem. Vicorum oppidorumque nomini nil additum nisi incitura lineae, qua viae directio indicatur, ut scias quo quisque ordine locandus sit. *Urbibus* duae turras sunt adpictae, urbium praestantiores agnoscas parvo inter turres ducto muro, et per complures turribus appictas fenestras. Coloniane an sit municipium, id quidem indicatum non invenio, nec opus erat, quum seculo tertio titulo magis quam praerogativis coloniae ab aliis urbibus discretae essent, saepiusque a scriptoribus coloniarum nomine insignirentur urbes, in quas colonias deductas unquam fuisse nullo publico testimonio docemur. In Africae tamen partibus coloniae titulum passim adjungit urbium nominibus *Tabula*, quod ad eam provinciam contra Numidas vagantes custodiendam, saepius coloniae deducendae erant. Insignium nomen cum occurrit urbium, officii sui duxit delineator florentem statum compluribus turribus altoque per ambitum ducto muro indicare; urbes Thessalonice, Nicaea, Nicomedia, Ancyra aliaeque, ejus rei testimonium exhibent. Quali pictura caput imperii Roma fuerit exornata non liquet, quum monachus suam imperatoris medii aevi effigiem substituerit antiquae structurae.

Delineatione insuper ostendit *Tabula*, quae *urbes* prae aliis essent *munitiores*, magna diligentia adhibita, ne peregrinator miles a vera aberraret aestimatione. Ea de causa *Juliomagus*, *Nemausus*, *Argentoratum* in Galliis, *Mediolanum*, *Antium* per Italiam, simplici eoque depresso circumdantur vallo, in urbis minus munitae indicium. *Mogontiacum* autem, *Reginum* Danubio adjacens, non tantum vallum paullo erectius, sed et pinnas muro superinductas ostendunt, ut egregie munitas hasce urbes fuisse intuitu cognoscas. Maximi momenti urbes, quales *Aquileja* atque eodem jam aevo *Ravenna*, splendidissime decorantur, sic ut non tantum turres murosque, quales amplissimae urbes ostendunt, sed et lapidum compagem videas, in documentum quam maxime munitas eas urbes fuisse.

Haec de urbibus; sed et in parvis locis indicat pictura si memorabilius quidquam eis adfuit. *Aquis* calidis et frigidis salubribus, in curandis morbis virtute insignioribus, balneorum publicorum figura addita. Eodem modo et *Praetoria* indicantur in illis locis, in quibus per provincias summum juris dicendi tribunal collocabatur; saepius eadem qua *Aquae* effigie, quandoque et diversa, ut putes verae aedificiorum figurae inhaesisse pictorem. — *Deorum templa* simplici aedicula expressa sunt, additis gentilium deorum, quibus dicata erant, nominibus; de Christianorum templis nulla per omnia *Tabulae* folia mentio, excepto tamen *St. Petro*, cujus aedes multo majore typo, majusculis literis urbi Romae adhaerentes aspicias, monachi scilicet studio. — *Quin* et *Horrea* publica, ubi satis magni essent momenti, ut e congesta frumenti copia Roma aleretur, congrua aedificiis figura depingitur, quorum nonnulla in Africae regionibus obviam habes, e. g. *Segm. V.* — Adsunt et aliae picturae, de quarum significatione nobis non satis liquet, faciles illae explicatu coaevis. — Inter om-

nes autem eminet Segm. V. *Portus ad Tiberis fluvii Ostium* egregia delineatio, aedificiorum atque molium ad navigantium securitatem in altum ductarum multo praestantius praebens indicium, quam ex uberrima descriptione acquirere possimus. Quae vel sola effigies firmat sententiam, monacho ad manus fuisse antiquum quod exscriberet archetypon; ipse enim tam magnificentum opus suo aevo nusquam vidit, neque ignotum tam eleganti forma potuit excogitare.

Per omnem Occidentis delineationem finibus Romanis sese continet auctor; quae Rheno atque Danubio appropinquant barbarorum gentes, suo quaevis ordine collocantur, praetermittendae nullo pacto, quum Romanorum ditionem saepissime hostiliter ingrederentur. Remotiores non curat Tabula, nec eorum operi inferuntur nomina. Sed et de *Agris*, quos *Decumates* Romani appellabant, trans Rhenum atque Danubium nulla indicatio, cum tamen e locorum viarumque vestigiis Romanis habitatos eos tractus fuisse, in aperto sit. Causa neglecti in Tabula indicii in eo quaerenda videtur, quod remotiores illae terrae Tacito teste sinus Imperii aestimarentur, in provinciae formam non reductae, viaeque privatorum opera non publicis impensis essent stratae, nec recipiendae ideo in opere publicas vias depingente. Praeterea paucis ante Alexandri Severi regimen annis hi Agri Decumates, vel eorum maxima pars, Romanis erepti sunt a Germanorum populis, quos bello ad Rhenum fl. aggressus fraude suorum periit Alexander. Regionis deperditae nec viae nec oppida erant depingendae.

Septentrionales Orbis partes claudit *Oceanus*; in Africa meridiem versus idem adspectus. Quantum terrarum in hac parte Romanis subjectum viisque constratum erat, vel quae itinera per desertum a negotiatoribus instituenda erant, haec lineis notantur. Ubi finis cognitionis Romanae ibi et Orbis finis in Tabula. Haud interrupta serie ab occidente ad orientem per omnem Africam montibus seepitur Orbis; ulteriora Oceanus tenet. Omnia pro hypothese Augusti aevo et ante eum Graecis probata, ut universum mundum Oceano circumfluum aspicias; qua in re posteriores correctores primitivum institutum religiose conservarunt.

Eadem illa Orientis in postremis expressa segmentis delineatio declarat. Syria, Mesopotamia Armeniae, pars sollicita opera exponuntur; ulteriora autem rudem Orientis cognitionem ostendunt, qualem Augusti aevo habuere Romani. Via ad Gangem usque flumen et inde ad Oceani littora perducitur; alia meridiem versus in Indiae peninsulam, a qua non ita procul *Mufiris* oppidum literis majusculis notatur eique adhaerens *Templum Augusti*, in adulationem imperatoris a primis in Indiam navigantibus non dico exstructum, denominatum tamen. Quaedam et alia nomina declarant ad hasce regiones jam pervenisse navigantes, nondum tamen cohaerentem illam orae notitiam habuisse, qualem in Ariani periplo expositam videmus.

In interioribus Asiae partibus magis ad septentrionem vergentibus ultimam Orbis urbem ostendit Tabula *Antiochiam*, Margianam scilicet; in proximo *Alexandri Arae* nominisque *Bactrianorum* mentio, a monacho in *Bactrianoe* deformati, praeterea nihil. *Serarum* natio, cujus nomen Augusti

aevo primum auditum est Romanis, nec adest, nec spatium ubi collocetur. Oceanus ab Indiae extremis septentrionem versus sese extollens magno circuitu ad introitum Maris Caspii circumflectitur; cuncta eadem forma, qua Orbem circumscriptum esse Strabo alique Graeci hoc aevo docuerunt. Ipsum *Caspium Mare* ex eadem delineatum hypothesi, ut angusto ex Oceano introitu late expansis lateribus in interiora terrae extendatur. Veram maris Oceano non connexam figuram, a Ptolemaeo indicatam, a recentioribus monstratam, ignorat Tabulae delineator. Quae omnia conspirant in Agrippam auctorem, posterioris aevi cognitioni non convenientia; ut statuere possis, in hisce remotioribus Orbis regionibus haud immutato ordine remansisse, quae Agrippa operi inseri jussit. Hinc etiam Orbis figura ex omni parte per Oceanum circumscripta, cui opinioni contrariam sententiam primus omnium Ptolemaeus eruditus proposuit.

Eidem Agrippae debemus sine dubio, quod Tabula sese non contineat inter imperii fines, ut Itinerarium Antonini sese continet, sed Orbem Terrarum complectatur delineatione. Is enim, ut e Plinii multifariis scimus testimoniis, summo studio conquisivit, quae vel peregrinatores vel mensores regionum traderent, ut e cognitione utut certiore singularium partium totius sibi formaret mensuram atque effigiem.

Editoris est, silentio haud premere, quod Tabulae vitio vertitur, nempe finium et imperii et provinciarum omissam indicationem. Hi fines desunt, quod insigniri vel maxima adhibita cura non potuerunt. De veritate hujus sententiae qui dubitat, faciat periculum in nostra Tabula cujuslibet provinciae finium designandorum. In Galliis facile sese expediet, omnis regio quum vel mari, vel montibus, vel Rheno sit circumscripta; idem dicendum et de Italia atque aliis quibusdam maximis provinciis. Sed qui terras illas in singulas regiones dividere, vel alias provincias punctis circumscribere velit, huic mox haerebit aqua, una via quum se viderit jam ingressum provinciam, altera tertiave magna distantia inde remotum esse, ut finium designandarum quam maxime tortuosa quae risum excitaret, linea enascetur omniaque simul offunderet confusione. Fines igitur provinciis cur desint pulchre vides, idem videbis de Imperio finibus includendo. Ubi permagnis fluminibus, Rheno, Danubio, Romanorum ditio definita fuit, hi ipsi constituebant terminos; in aliis regionibus, e. g. in Armenia, Mesopotamia, in Africae inter ioribuspartibus certos non agnoscebat imperium limites; hique magis extensi, vel coarctati sunt, prout Romani e bellis crebris superiores inferioresve discederent.

Haec fere sunt, quae de Tabulae ratione in universum admonere non supervacaneum duxi, ut ea usuro quid inde sperandum sit, quid perscrutanti negatum, pateat, quove modo procedendum sit ejus auxilium quaerenti, ne vana spe delusus errorem auxilii loco sibi depromat. Uno intuitu stupendum illum, nulla sui parte interruptum, viarum tractum mirans ante oculos habet, laudibus extollens Romanorum non tantum conatum, sed et intelligentiam in eligendis viarum aptissimis directionibus; omne Imperium florentissimo sui statu illi obversatur. Universus magni operis complexus archaeologiae deditum vel nolentem saepius ad contemplandum Orbem Pictum revocat. Geographiae studio addictus

e singulis viarum nexibus sibi deducit, quae vel inventa vel novis argumentis inde firmata eruditorum subiciat iudicio; studebunt alii ejus ope de hac illave via per patriam terram extensa melius ac certius quid cognoscere. Omnium commodo jam hoc accedit, quod nunc demum liquet, quae vera quae intrusa sint, ut jam majore fiducia e Tabula desumere possint sibi inservientia, satis certi antiqua inde se hausisse.

In hisce omnibus Itinerarium Antonini impar est Tabulae. Procedit et illud ab occidenti ad orientem, sed initio in Africa tantum facto; ubi finis Maris Mediterranei in Syria, ibi et Itinerarium inflectit vias conversoque ordine progreditur occidentem versus, sic ut Britanniae ultimum designationis obtineant locum. Nil mali ex ea describendi methodo emergeret, idem si ordo incorruptus per omnes imperii partes esset adhibitus; sed aliae viae quum tendant ex Asia ad occidentem, aliae ab urbe Roma in dissitas regiones, aliae denique transversae passim inserantur non suo loco, confusio enascitur eo major, quod complures viae sibi vicinae, in longe diversis libri partibus conquirendae sunt, in testimonium, primitivo operi eas insertas esse posteriore aevo. Hunc si sibi Tabula procedendi ordinem assumisset, ingens confusio oculis occurreret, vel potius nullum haberemus Orbem Pictum. Itinerarium, intra imperii sese continet fines, nec fluvios, nec montes, nec urbium conditionem diversam indicat, et in ipsis locorum nominibus exhibendis multo se ostendit parcus. Quae tamen cuncta vitio non vertenda sunt Itinerario; in usum enim omnium destinato operi satis fuit, oppida cujusque viae praestantiora proferre, et minus curare de Mansionibus atque Mutationibus publicis. Per Italiae tractus, nec non in provinciis, praesertim ubi novae viae constructae uberio rem descriptionem poscerent, vicos passim vides annotatos, in aliis viis nihil nisi oppida, urbes atque dierum itinera interdum longissima. Tabula contra in militare usum composita ne minimorum quidem locorum omittit nomen, ubi publici commodi ratio ejus mentionem necessariam reddit. — Nec tamen quisquam alterius auxilio carere velit praesertim in restituendis corruptis locorum nominibus et corrigendis vitiosis numerorum indicis. Quin et praestantiam quandam sibi vindicat Itinerarium, interponendo novas a Diocletiano, Constantino al. constructas vias, quarum nullam profert Tabula, utpote hisce imperatoribus antiquior. In omnibus aliis Tabula apparet fons uberrimus, e quo Itinerarium suos deduxit rivulos.

S e c t i o VI.

De vitiis Tabulae a monacho infusis, et de aliis perperam Orbi Picto imputatis.

Vera haec quidem; sed naevi, iique maximi momenti, operi inhaerentes saepius incertos nos reddunt de vera nominum lectione, obscuritatem infundunt nostro studio, dubio involutos remittunt auxilium inde sperantes. Minime negare velim ea, quae unico, quo utimur, objiciuntur Tabulae exemplo, et aequae ac alii doleo vicem nostram, quod e turbato fonte cogimur haurire. Nec tamen tam gravis jactura, qualis primo intuitu animo observatur.

Argumentis superius prolatis maximi vituperii occasio sublata est; Nempe ante nos dubium erat, num Orbis Pictus verum et indubitatum antiquitatis sit opus; qua dubitatione remota omnis labor in eo versatur, ut discernamus antiqua a corruptelis per monachum delineationi illatis. Huic relinquo suas de Israelitis in deserto annotationes, figuras medium aevum testantes, geographiae atque orthographiae inscientiam; eo ipso quod crassiores sunt errores facillime medelam illis inventurus. Quis enim deprehendens nomina Isteria, Thracia, Igeum Mare, haesitabit, quin veram substituatur lectionem Istriam, Thraciam, Aegeum Mare? Haec quum removeris, nihil praeterea antiquo operi illatum obviam habebis; nec tamen, licet de rebus male insertis securus, omni sollicitudine solutus ad Mappae usum accedas, quum omnia, quae adesse debeant, deprehendas complura, locorum insuper nomina eorumque adjectos numeros vitiose descripta. Haec sunt sola, sed gravissima, quae vel exscriptori, vel antiquo autographo, cujus repetendi curam susceperat, vitio vertas. Cujus rei quum passim jam mentio facienda erat, uberius expositio hoc loco non negligenda videtur.

Monachus picturae magis quam scripturae intentus priorem negotii sui partem satis scite absolvit. Inde delassatum exceperunt inserenda nomina numerique, nimium festinata opera adscripti, cui festinationi imputandam esse putem utrorumque depravationem, qua saepius offendimur. Tolerabilius forte vitium, quum vel e viae nobis notae serie de vera lectione saepius certiora eliciamus; vel Itinerarii Antonini adjumento emendemus vitiosa. Ubi autem et de hujus numeris non constat, semper fere praeferendum esse Tabulae judicium experientia didicimus; utpote quae ex uno tantum archetypo sit desumpta, quum Itinerarium saepissime transcriptum frequentioribus fuerit expositum erroribus.

Sed et majus malum occurrit haud raro, nullo pacto sanandum, nisi alio Tabulae antiquo exemplo, cujus inveniendi omnis nobis spes denegata est. Nomen vici simul et numerus interdum plane deficiunt in eis locis, quibus viae incisura apponenda fuisse monstrat. Quandoque complura deesse vides, interdum omnia viae transversae nomina; in hisce nulla omnino medela. Posterius ubi occurrit, e. g. Segm. XI in viis Caspio Mari appropinquantibus, defectum monachi adscribas negligentiae; cum autem unum alterumve vocabulum in eadem via omissum, reliqua suo ordine adjuncta conspicis, id vitium antiquae membranae cujus literae evanuerint adscribendum esse censeo. Quo enim alio pacto scriptor duo, tria, nomina transilire, rursusque in eadem linea continuare laborem potuisset, quum nuditas praecedentis spatii vel nolentem admoneret de inserendis quae deficerent? cujus rei exemplum prodit Segm. IV in via ab Aquileja Virunum ducente.

Lectu difficile archetypon fuisse, ex aliis quoque nominibus corrupte expressis patet, quum e. g. pro Virunum scribat Varunum; cur enim, nisi legendi difficultas eum morata esset, vitiosa maluerit quam vera exhibere? Legere eum antiqua non ubique potuisse, vel e primo Segmento in aperto est, ubi Chaucorum, Chamavorum gentes, et alias trans Rhenum sitas mirum in modum confundit. Literarum antiquarum ductus vexaverunt monachum, sicut et ille nos vexat. Eadem ex causa habemus in

Tabula literam hoc modo expressam, \mathfrak{h} , nec ante, nec post eo unquam visam. In Africae partibus, ubi idem signum frequentius occurrit, ad literam Z exprimendam adhibitum esse plerumque invenimus. Sunt autem et aliae voces huic explicationi minus sese accomodantes, in quibus statuendum videtur, vocem cursivis literis antiquo Romanorum more expressam fuisse, quo literae vocales *a*, *e*, proxime sequenti literae consonanti ita annexae fuerunt, ut superne illi agglutinatae viderentur, cujus scripturae antiquae exempla passim supersunt.

Occurrunt tamen et perpauca, ubi nec archetypi obscuritatem nec negligentiam incuses monachi, sed ejus emendandi pruritus, quo dum solertiae depromere niteretur, inscitiae specimen edidit. Segm. V viam e Norico juxta Dravum fluvium per Pannonias ducentem justo ordine delineatam vides atque in ejus serie *Mursam Majorem* civitatem, hodiernum oppidum *Esseck* ad Dravum fluvium. Alia via ripam Danubii sequens ab Aquinco (Ofen) ad eandem ducit Mursam. Duae ergo viae erant ad Mursam concurrentes, deinde in diversa rursus tendentes, quarum utrique appingenda erat Mursa civitas; et forte accidit per viarum ordinem, ut ejus nominis repetitio in spatio minimo exprimi deberet. Quae repetitio parum congrua concinnitati, error potius prioris delineatoris visa monacho, imperitum impulit, ut in itinere Danubio adhaerente omitteret Mursae simul et locorum proxime praecedentium mentionem. Inde omnis extensio viae ab Acinco ad Mursam suis numeris justo brevior explicationem non admittit; abscissa cum restitueris, cuncta procedunt incorrupto ordine.

Hi veri sunt naevi inhaerentes Tabulae turbantes puram antiquitatem; quorum tamen crassiores facili removeas remedio. In nominibus numerisque vicorum passim vitiorum idem cum interdum efficere non possis, reputandum non adeo gravis eos inveniri momenti, maculasque esse minutas egregio inspersas operi. Eis si non nimium offendamur, fidenti animo accedamus ad Tabulae studium, securi, alios, nisi quos indicavi, errores non occurrere.

In tam inaudita affirmantem omnis consurgit doctissimorum virorum cohors, a Marco Welsero ad hanc nostram aetatem. Uno ore praedicant praestantiam operis, uno ore simul queruntur de ejus maximis corruptelis; quae verae si invenirentur, cunctam fere Tabulae denegandam censerem utilitatem. Alia tamen inventurus es, Benevole Lector, re penitus inspecta; reprehensionum quasdam videbis originem ducere ex eo, quod non distingueretur monachi opus ab archetypo, alias vero e studio Orbis Picti non rite instituto, ita quidem, ut interdum et merita antiqui delineatoris vitiis adscribebantur. De hujus rei veritate, quivis ut judex queat esse justus, plura amplius exponam, quae subinde jam in expositionis serie indicata sunt; subjungam et alia in rem facientia.

Jussu Imp. Theodosii mensuratio cum putetur instituta, mirantur non pauci, inesse Tabulae per multa huic aetati repugnantia, deesse urbium nomina, quas eo aevo floruisse novimus. Hisce melius consultum fuisset, si ante omnia quaesissent, num de Theodosio auctore satis res constaret. — Alii crassioribus vitiis offensi, e quibus et geographiae et orthographiae inscitia primo intuitu pateret, meta-

torum vel aliorum privatorum hominum rudiorum opus esse Tabulam sibi persuaserunt. Ac si labor tam immensus, per omnes Imperii provincias pari sollicito studio perductus, alia nisi publica auctoritate unquam inchoari, nedum perfici potuisset. Nostra demum aetate suspicio compluribus subnata est eruditibus, quas Viennae videmus membranas apographon vetustioris exempli esse; nec tamen in tramite progressi de discrimine inter vetusta et inter illata a monacho justis rationibus pronunciarunt; quo facto omnis de vitiosa scriptura haesitatio cessat, imputanda scilicet monacho. — Alii rursus vitio vertebant auctori, quod viarum tantum rationem respiciens, non potius opus absolutum, Mappas scilicet astronomicam doctrinam prae se ferentes nobis tradiderit. Hi ea qua oportebat cura non perpenderunt, nec Augusti, nec ipsius Theodosii aevo chartas astronomica ratione delineatas quibus viae satis commode inferrentur, a nullo vel doctissimo viro construi potuisse. — Summo artificio nostrae Tabulae delineationis rationem excogitatam esse, id quidem nullus sibi persuadere voluit; conquerentes potius deprehendens de confusione, de interruptione viarum, de perverse positis aliis, aliis plus una vice repetitis, aliis omnino omissis, de fluviorum decursu male delineato, de cunctis adeo corruptis, ut usus Tabulae vix relinquatur veritatem quaesituro.

Noli pro veris accipere quae obijciuntur; per multos annos continuato usu eis contraria reperi, ut et quilibet alius inveniet studio rite instituto; sed et jam invenit uti spero in hujus disputationis argumento. Vias videbis rite excogitato ordine ab occidente ad orientem procedentes, sic et minores transversas vias, ab altera ad alteram tendentes urbem, ubique quo debent loco incipientes, finientes quo debent, in nullam aliam unquam incidentes, nisi ubi revera inciderent. Incorruptus ordo, nulla confusio, nulla ejusdem viae repetitio; quod enim in duabus viis eadem nomina quandoque appareant, id data opera factum, et faciendum quidem erat; una enim via cum altera saepius per quoddam itineris spatium conjunctam directionem sequitur, postea rursus diversis directionibus separata; id si evenit, indicanda sunt delineatori nomina utrique viae communia, repetita ergo vice apparent necessario. Confusio viarum ut vitaretur, transversae viae sua vera directione, quam in nostris chartis exprimere possis, non procurunt, nec ejus rei est cura auctori, qui, dummodo via indicanda non interrupta sit per aliam, cui incurrere non debet, ceteroquin incuriosus est, num ad meridiem orientemve tendat. Quae omnia prolixius jam exposui, cum de delineandi Orbis Picti ratione sermo fuit instituendus. Cui hisce omnibus non satisfactum est, is, sepositis nostris chartis geographicis, sese accingat ad excogitandam praestantiorum effingendae atque per omnes partes imperii continuandae Mappae rationem; ego admiratione prosequar virum, magnum inceptum ausum, quod prospero eventu ad finem perduxerit.

De viis omissis querentibus respondendum, nullam omnino deesse, quae quidem tertii seculi initio jam adfuerit imperio, posteriore aevo stratas nemo in Tabula quaerat. In defectus istius compensationem offert antiquiores sed sequenti aevo directas vias, offert Daciae Trajani expositionem, copiosam Mesopotamiae delineationem, quorum omnium nil nobis exhibet Antonini Itinerarium. Idem dicendum est de urbibus. Suae culpae inscribant earum qui postulant indicationem, quas recentione

tempore conditas scimus; antiquiores cunctas adesse Tabulae affirmare ausim, iis tamen ex instituti natura exceptis, quibus viae publicae denegata erat commoditas; ubi enim nulla via, ibi nullum loci indicium. Id quod tamen in perpauca per montanas regiones dissita oppida cadit, in quae vias perducere operae pretium non visum. In nonnullis majoris momenti urbibus nomina picturae adjungere a monacho neglectum, superius indicavi, quae nomina e viarum directione eruere haud arduum opus.

Nihil igitur in Tabula vitiosum, nisi quae de defectu vel corruptione singulorum oppidorum vicorumque querens exposui. Ipsis vituperantibus recurrendum quum fuerit ad opus, cui maximam fidei partem abrogabant, majore id ardore nunc quidem factum iri credo a Viris doctis, cum certius jam cognoverint, quae spuria, quae genuina. Ita universo antiquitatis curiosorum coetui inserviet Orbis Pictus, haud interiturus quamdiu literae florebunt.

S e c t i o VII.

Fata Tabulae Peutingerianae.

Ad fata Tabulae nos deducit disputationis series, eo magis memoranda, quod haud una vice praestans opus interitui imminenti Musis adjuvantibus est subtractum. In eis exponendis duces mihi desumsi *Welseri* opera, Norimbergae 1682, fol. et *Lotteri* dissertationem de Tabula Peutingeriana a. 1734, in 4to editam; praecipue tamen *Scheybium* nostrum, qui studio summo, auctoribus quos indicavi in auxilium vocatis, alia praeterea collegit operi inservientia. Hunc igitur, quaedam meo Marte adjungens, potissimum sequar, minus tamen inhaesurus verbis ejus, prolixioribus utpote haud raro, immiscentibusque passim Theodosium, ubi immiscendus non erat.

De primaeva Tabula disserere volentem repellit rerum inscitia; pariter enim ignoramus, adfueritne medio aevo et aliud Orbis Picti exemplum, et quo casu id unum, quo monachus fruebatur, disparuerit. Quin et affirmanti, ad manus habuisse monachum id ipsum exemplum, e cujus initio Ducuil versus supra laudatos excerpsit, minime forem refragaturus, quod illud unum est, cujus mentionem faciunt antiquiora secula ^{a)}, atque probabiliore ratione superstes esse potuit medio aevo quam archetypon seculo tertio delineatum. Credendum insuper foret, monachum in opere Ducuiliano, magna praecipitatione conflato, vitia complura jam invenisse, quae transcriberet, non vero ipse inferret vocabulis numerisve. Intelligeremus denique, quo pacto magnum opus inter secreta aulae habitum, usui publico nullo tempore destinatum in vulgus prodire potuisset. Dum imperium integrum vigeat id factum esse vix quispiam credat; evenire potuit imperio diviso turbatoque, ut suus scribenti relinqueretur labor, quod indignus putaretur usui imperatoris, quum operarii neglexissent emendationes aevo convenientes deli-

a) Vide tamen, quae de Geographo Ravennate in fine hujus dissertationis moneo.

neationi inserere. Haec asserentibus cum contradicere nolim, recedendum tamen nulla via est a sententia, Tabulam nulli nisi tertio seculo et ejus quidem primae convenire parti. Si igitur arridet hoc, quod posui, scriptorem illum atque pictorem antiquum exemplum ad manus habuisse quod transcriberent, nil addito de immutationibus recentioribus, lubenti ego animo calculum adjiciam sententiae; sin autem ipsorum aevo convenientem operarios conficere voluisse affirmes delineationem, id denegandum esse rationibus sum persuasus certissimis, expositis per omnes disquisitionis partes.

Sed et de *Monachi Colmariensis Mappa Mundi* nulla mentio apud scriptores per ducentos et quod excurrit annos; nec id mirum, cum vel in monasterii vel alius bibliotheca opus esset reconditum, inaccessum extraneis. Inde tamen, quo casu nescimus, prodiit in publicum, venalis prostrans Wormatiae, idque primum veluti vitae ejus habemus indicium. Offerebatur *Trithemio* illi, libris historias illustrantibus simul et sermonis latini puritate eo aevo satis celebri. Is anno 1507 (in *Epistolis famil. num. 41*) rescribit amico: „Orbem terrae marisque et insularum, quam „pulchre depictum in Wormatia scribis esse venalem; me quidem consequi posse optarem, sed quadraginta pro illo expendere florenos nemo facile mihi persuadebit.“ Quadraginta ducatorum pretium, in illius aevi argenti raritate, vires sane privati superabat. Nec ergo emit Orbem Pictum a se desideratum *Trithemius*, nec emendi amplius fuisset facultas, quippe eodem tempore jam terebatur manibus celeberrimi *Conradi Peutingeri*, patricii Augustani, qui antiquitatis monumenta Augustae Vindelicorum ejusque in vicinia inventa suis impensis conquisivit, in aedibus quas inhabitabat et nunc conspicua, consiliator non tantum patriae, sed et Imp. Maximiliani I., a quo ad publica tractanda adhibitus est negotia, idem simul satis dives literarum promotor, eaque de causa amicissimus *Conrado Celti*, illius aevi non tantum summo poetae sed et artium liberalium coryphaeo. Quem a. 1507 apud *Peutingerum* esse commoratum e *Trithemii* epistolis scimus; per literas enim eodem anno missas certiore eum reddit *Willibald Birkheimer*: „cum nuper Augustam venissem, tuas ultimas Celti nostro legendas tradidi.“ — „Celtis vero ac praecipue *Peutingerus* me rogarunt, ut ad te scriberem al.“ Insequenti anno *Celtis* moriens Tabulam pictam *Peutingero* legavit testamento. Indefesso fervori *Scheybii* hanc debemus notitiam. Is enim, ut alios eruditos, e quorum monitis utile quidquam suae editioni elici posse sperabat, sic et *Jacobum Bruckerum* adiit literis, ex eoque comperit, *Andr. Fel. Oefelium*, omnia quae edendis a se scriptoribus Boicis inservirent, summo studio perlustrantem, in Collegio societatis Jesu Augustano in catalogo librorum *Peutingeri* ejus manu adnotatum invenisse: „Itinerarium *Antonini* in charta longa a Celte nobis testamento legata.“

A Celte possessore relictus igitur Orbis Pictus *Peutingero*; num amicitiae tantum an et gratitudinis causa, id non compertum; partem forsitan pecuniae ad coemendum necessariam praebuit Poetae, cui non erat datum, e pleno marsupio 40 ducatos depromere. Prioribus annis idem *Celtis* monitu Imp. Maximiliani I. Italiae atque Germaniae terras perlustravit, eum in finem, ut si quid memoratu dignum sibi occurreret Germaniae antiquitates illustrans, id sibi suis impensis acquireret. Qua de causa gravis *Scheybio* querela, quod *Peutingero* potius quam *Caesari* thesaurum hunc reliquerit. Num

autem idem mandatum ad ultimos Celtis annos in vigore fuerit, nescimus, nec constat, an Imperatoris in rem literariam semper quidem propensus animus inter gravissima maximas impensas sibi de-
poscentia negotia publica, ingenio suo quacunq; data occasione indulgere potuerit. Qua de causa
omnis disceptatio inutilis.

Mappam sibi acquisitam Itinerarium Antonini vocat Peutingerus, nec aliud nomen aderat in aevo,
quo Pictum Mundum nemo omnium unquam viderat. Nos a primo nobis comperto possessore eam
appellamus *Tabulam Peutingerianam*; et licet Imp. Alexandrum Severum ejus agnoscamus primiti-
vum auctorem, eodem tamen nomine et in posterum insignietur; et gentis et rei vetusta, cui adsue-
vimus, appellatio e suo loco non removetur, nec est depellanda. — Eandem eam esse cum Mappa
Mundi a Monacho Colmariensi elaborata manifestum esse videtur, quod utraque seculum XIII. prae
se fert, et quod utraque duodecim membranis pergami est absoluta; accedit altum silentium de
ejusmodi ab alio quoquam delineato. In antiquis enim monasteriorum catalogis passim quidem charta-
rum geographicarum mentionem allatum invenimus, e quibus omnibus tamen ne ullum quidem super-
stes ostenditur; quantum quidem ego scio. Omnes pariter deperditas esse id vix statuendum, cre-
dendum potius de Ptolemaei chartis intelligenda esse ea indicia; quin et mihi persuadeo, ante pyxi-
dis nauticae inventionem nullas omnino chartas novas esse constructas. Antiquissimas ejus generis
mihi compertas, initio seculi XIV. delineatas in Gestis Dei per Francos superstites videmus; sed ejus
rei disquisitionem nostro proposito alienam dimitto.

Thesaurum suum, justus ejus aestimator, Peutinger, non tantum proposuit spectandum eru-
ditis eum invisentibus, ut e. g. *Beato Rhenano*, qui in sua rerum germanicarum historia L. III. p.
36 (in editione a. 1531) disserens de Francorum antiquis sedibus: „Huc adde, ait, quod in Charta
„Provinciali, quam apud Chunradum Peutingerum, amicum nostrum, Augustae vidimus, sub ultimis
„imperatoribus depictam, et a Celte in quadam bibliotheca repertam plane veterem, ubi haec oppida
„sic leguntur al.“ sed etiam omnem navavit operam, ut eandem aeri incisam in communem litera-
torum usum ederet. Qua de causa a. 1511 ab Imp. Max. I. privilegium impetravit, cujus tenorem
habemus in *Lotteri* historia *Conradi Peutingeri* p. 65; et quum Mappae Mundi integra sua extensione
aeri incidendae nimia moles huic aevo fuisset nimiaeque expensae, in minorem formam redacta lucem
ut adspiceret consilium fuit possessori. Ab hoc tamen incepto abstinit prima quae inde extracta erat
inspecta Scheda, deinde altera, quarum nulla satisfacit Peutingero, ut et nobis non satisfaciunt. Su-
perstites enim sunt in *Welseri* opere, divergentes inter se tantumque difformitatis prae se ferentes,
ut operis vera facies ex illis minime agnoscat. Abjecit ergo edendi propositum Peutingerus mor-
tuus a. 1547 longaevus. Haeredes de omni alia re quam de Orbe Picto curiosiores eum simul et
libros recessu obscuro absconditos removerunt.

Nec tamen Tabulae fama deperit; mirifica exspectabant viri docti de pictura illa plane singu-
lari, cujus laude auribus acceperant. Marcusigitur ille e *Welsorum* insigni familia, cujus doctrinam ex

ejus operibus cognitam magni pendimus, et ipse affinitate conjunctus Peutingerianis, sibi desumpsit negotium, ut protractis e tenebris librorum scriptorumque pulvere contactis cumulis, oculis usurparet tam sollicite desiderata. Sed invenit carbones pro thesauro, schedas scilicet illas duas Peutingeri cura olim operi excerptas; quae tamen et ipsae tanto eum perfunderunt gaudio, ut uberrimo eoque doctissimo illas enucleatas commentario Aldo miserit Venetias, qui a. 1591 schedas cum commentario typis vulgavit.

Subinde scrutantem tandem fortuna adjuvit Welserum, ut opus ipsum protractum interitui eriperet. Tunc non amplius sermo de commentariis sed de universae Tabulae editione. *Joh. Mollerii* typographi Augustani opera satis scite contractam in minorem formam vulgandam misit *Ortelio*, celeberrimo seculi geographo, edendi munus ultra sibi deposcenti. Senex tamen septuagenarius conatui immortuus perficiendi curam testamento demandavit *Joh. Moreto*, typographo Antwerpiensi praestanti eruditione imbuto, qui mandato religiose satisfaciens Tabulae aeri incisa segmenta remisit Welsero, qualia ea habemus in ejus operibus ab Arnolde a. 1682 demum editis.

De commentario Orbi Picto addendo Welsero quum esset sollicitudo, complures adiit eruditos, ut munus susciperent rogans. Ab omnibus autem repulsam cum ferret, languit impetus senescentis, eaque causa mihi esse videtur, quod eo vivente Tabula non sit edita. Exempla tamen sibi desumpsit sine dubio Moretus ex aere sua cura inciso, eaque re evenit, ut antequam Welseri opera ederentur, appareret Tabulae delineatio, quam *Petrus Bertius* in *Theatri geographiae veteris Tomo II.* 1618 exhibuit. Anno demum 1682 ea quam in Welseri operibus habemus, comparuit. Postea Tabulam edidit *Georgius Hornius* in accuratissima Orbis delineatione a. 1686 et *Nic. Bergier* in opere des grands chemins al. a. 1756.

Quae omnes Mappae editiones majus excitarunt autographi desiderium, quum in divulgatis quam plurimi deprehenderentur naevi, quibus opera membranae mederi posse sperabatur. Sed Orbem Pictum trahebant sua fata. Latebat inter Conr. Peutingeri libros nulli inspectos ad ultimum ejus stirpis possessorem usque; Ignatius Peutingerus is erat, Elwangensis ecclesiae decanus, antiquitatis minus sollicitus. Huic facile persuasum est, ut a. 1714 Mappam venderet bibliopolae *Kuhz*. Peutingerus anno proxime insequenti moriens testamento familiae bibliothecam reliquit Patribus societatis Jesu Collegii Augustani.

Bibliopola autem quaestus faciendi gratia opus sibi comparatum venum exposuit emere volentibus. Complures thesauro inhiantes pretium quod poscebatur nimium putabant. *Eugenius* tamen *Sabaudiae Princeps*, exercituum ille dux egregius, simul et literarum studio impenso deditus, a. 1720 centum ducatis Orbem Pictum sibi acquisivit, qui abhinc salvus latebras non amplius expertus est. Post enim principis *Eugenii* mortem a. 1758 cum universa ejus bibliotheca ad Imperatorem devenit *Carolum VI.* gloriosissimum, inde asservatus in amplissima Caesarum bibliotheca Viennensi, ubi cuivis erudito facultas inspiciendi Codicis, et in quantum id fieri potest usurpandi, liberali modo conceditur.

Tantae molis erat Romanam condere gentem.

S e c t i o VIII.

*Merita Scheybii in exornanda sua Tabulae editione, paucula insuper
de nostris conatibus.*

Eruditorum in dies increscens desiderium, ut ipsius Tabulae, qualis est in membranis, utendi copia fieret, quum cognosset Doctissimus *de Scheyb*, apud animum constituit, integrum opus eo, quem Membranae ostendunt adspectu, eruditorum usui tradere, atque Imperatrice *Maria Theresia* liberalissime usum authographi concedente, impigre, maximo ardore, impensis non parcens, magnum conamen ad finem perduxit optatum. Viennae, a. 1753 lucem vidit nova omnibus antecedentibus longe praestantior editio, cui titulus: *Peutingeriana Tabula Itineraria*, quae in Augusta Bibliotheca Vindobonensi nunc servatur adcurate exscripta a *Francisco Christophoro de Scheyb*. Ut autem de meritis Doctissimi Scheybii, simul et de methodo, qua usus summa intentione laborem perfecit, candidè queat judicari, ipsius sum usus verbis, e Praefationis pagina 9 seq. petitis.

„Totus in eo fui, ut delineator meus Tabulam iis lineis, iis formis, iis apicibus et siglis, quibus, membranae authenticae conspicuae sunt, exactissime describeret. — Exercitatissima ad id, usus sum manu *Salomonis Kleiner*, geometrae et architecti ad id genus delineationum aptissimi. Is, ne lacunam, hiatum, lineolam, punctum vel oblitteratum apicem transiliret, chartam oleo tinctam, Archetypo superimposuit, inque illa, quidquid oculis percipi poterat, attentissimo calamo designavit. — Segmenta singula in aes incisa ad ipsam rursus Peutingerianam Tabulam tanquam ad lineam, iterumque revocavi, examinavi, et quod sedulitas styli, invita descriptoris manu, forte transgressa, est vel immutavit, ea qua potui adcuracione emendavi.“ —

„Quum archetypus ipse, cui haec mea delineatio aequalis est, in tantam longitudinem extendatur, ut unum et viginti pedes excedat *Vindobonenses*, unumque pedem sua latitudine adaequet, in commoditatem unius cujusque, qui ea uti voluerit, exemplar meum in duodecim partes divisi. — Curavi praeterea, ut quemadmodum Archetypus variis coloribus ornatus est, ita etiam iisdem haec mea folia possint adumbrari. Quamobrem tota Tabula, quantum varietate rerum licuit, methodo qua *Heraldi*, ut vocantur, colores aeri incisos exprimere solent, delineata est. *Mare* scilicet et *flumina* lineis a sinistra ad dexteram declivibus exprimuntur, ut viridis coloris sint. Montes atque aedicularum latera punctis inspersa sunt, ut flava; alii quoque montes lineis promiscuis et punctis designantur, ut subfuscuro colore adumbrentur. Tecta lineis rectis parallelis inquamcunque partem ductis elucent, ut rubra; viae omnes lineis rectis duplicibus ducuntur, ut rubrae; litterae denique majusculae lineis transversis quasi transparentes, ut quoque rubrae appareant; aliae vero nigro colore quasi opacae sunt, ut nigri permaneant.“

Haec fere sunt, quae de laudabili in edendis membranis Scheybii cura ipsius verbis legentium oculis subjicere necessarium duxi. In operis ipsius disquisitione, haud dubie magnam Doctissimi viri eruditionem prae se ferente, me illius vestigia sequi minus potuisse, superius monui.

Meritis Scheybii haud dubie adnumerabunt lectores *Indicem topographicum*, quem multo studio digessit. Ostendit simul, qua ratione, eo in auxilium vocato, cujuslibet nominis indicati locum in Tabula haud difficulter invenias. Eundem indicem in nostra editione retinuimus integrum, additis compluribus vocabulis, quae ejus sedulitatem effugerant, correctis aliis, quae minus recte erant expressa.

Quid ego contulerim ad exornandam novam hanc editionem, si serio quaereres, candide Lector, omnem me operam et oleum perdidisse profiteri deberem. Tua enim quaestio argueret, me non probasse, quae probare apud animum constitueram. Volui autem certis argumentis ostendere, autographi veram originem seculo tertio esse adjudicandam; nostrum vero, quo unico utimur, exemplum a monacho seculi XIII vitiosius quidem esse transcriptum, nec tamen ita difficili studio erui posse, quae antiquitati, quae exscriptori attribuas; denique vitio verti saepius Orbi Picto, quae rem curatius investiganti vitiosa non esse apparebunt. Quam maximi momenti sententiam ut clara luce exponerem si mihi contigit, reliqua etsi satis curiose enucleata non nisi accessorium habeantur primariae probationis, in qua summus rei cardo vertitur. Hac enim stabilita omne Tabulae studium, vacillans ad hoc tempus, firmiore gressu incedet, et lector, quae genuina sunt, in usum certum sibi reservabit, rejectis spuris. De veritate hujus expositae sententiae si persuadere viris doctis non potui, cassus omnis mihi labor.

Olim jam, anno scilicet 1793, typis vulgavi commentariolum, in quo de discrimine, quod inter auctorem Tabulae ejusque scribam recentiore statuendum esse uberius nunc docui, brevius jam monueram. Quam sententiam firmavit rei diplomaticae peritissimus *Gatterer*, Gottingensis professor, dum in libro *practische Diplomantik* inscripto (Gött. 1799, 8. p. 167) ex hujus artis regulis demonstraret, Tabulae nostrae delineationem omnino seculo XIII esse adtribuendam. Quo factum, ut Germaniae eruditi veritatis viribus impulsus frequentes eidem accederent sententiae, relicto illo de Theodosio auctore asserto. Aliis Europae nationibus horum nil compertum, quod dissertatio perpauca paginis circumscripta eorum subterfugerit notitiam; donec casu in gallicum idioma parum concinne translata, refragatores sed et defensores invenit. Meae adscribendum esse culpae repugnantium censuram putaverim, quod in rudiore expositione sententia non ea, qua debuit, vi instructa apparuit, nec meum Tabulae studium quotidiano ejus usu tunc temporis satis fuerit firmatum. Certius tamen quidquam pronunciare haud possum, quod auditu tantum rem ita apud Gallos accidisse accepi. Occasione autem data repeto, pergratum mihi fore, si iudices idonei neque opinionibus suis praecupati, rationibus rem acu tangentibus me doceant, quid non satis validum meis insit assertis, quid eorum obstet veritati, quae in longe alium tramitem vel universam expositionem vel singulas ejus partes deducant. Nec enim fuco quodam legentium animos involvere gestio, ut prolata iisdem ac ego oculis intueantur. De certitudine in re satis gravi sermo est, cujus beneficio posteritati liqueat, in quantum sit confidendum nostro Orbi Picto.

In dubium passim quum vocatum sit, an quam in editis segmentis habemus, vera sit codicis Viennensis lectio, quod fama suboriebatur, nonnulla subterfugisse diligentiam Scheybii ejusque delineatoris: auxilium e fonte quaesituri e Praefectis magnae Bibliothecae Caesariae precibus adiimus *Balthasarum*

Kopitarium, virum multa et varia eruditione instructum, qui certiora nos doceret adjuvaretque haesitantes. Qui pro suo literas juvandi studio, simulque erga nos amicitia atque benevolentia ductus lubenti animo adnuit petentibus. — Ante hos quinque annos *Valentinus Vodnik*, Labacensis gymnasii professor nunc demortuus, Kopitarii hortatu in se susceperat Scheybiana segmenta cum autographo conferendi negotium, summaque intentione perfecit laborem. Hujus schedas cum ad *Schneiderum Saxonem* delatae essent, ille, intercedente Kopitario, lubenter eas concessit in nova hac editione publicandas; nos autem integras ad finem hujus libri adjunximus, eo consilio, ut Scheybiana editionis exemplaria inde emendari possent. Simul autem veras lectiones ex illis emanantes Tabulis aeri incisis, sublata vitiosa scriptura, inserendas curavimus, ut in nostris foliis archetypon majore fide quam in Scheybianis redderetur. Praeterea in indice locorum, quem, ut paulo ante dictum, ex Scheybiana editione repetendum duximus, quae post novam Tabulae collationem mutanda erant, correximus. Ac Scheybius quidem cujuslibet nominis situs facilius inveniri ut posset, segmentorum margines literis distinxit ab A ad F; eundem secutus est ad indicandas veras nominum atque numerorum lectiones Vodnik.

Virum agnosces e schedis non adeo quidem in veterum re geographica versatum, ut ejus studio medela universo operi enasci potuerit, summa tamen sedulitate propriaque ad negotium rite absolvendum voluntate praeditum, eaque re de literis optime meritum, nostra cum intersit, ut de vera Codicis lectione certi fiamus. Inde tamen omnis simul spes interiit ex autographo auxilii inveniendi in majoris momenti vitiiis, de quibus per omnem expositionis seriem questi sumus. Quae enim Vodnik eruit, ea nomina singula et numeros minus accurate reddita esse docent, nec suspicari potest, diligentiam viri curiosi, qui singulis literis minimisque numerorum diversitatibus anxie inhaesit, effugisse lacunas illas passim occurrentes aliasque corruptelas, ubi integra vocabulorum desunt nomina, alia perperam adscripta. — Qualis igitur tabula Peutingeriana Tibi in nostris paginis proponitur, talem eam et videbunt secula futura expressam.

Explicationem singularum Tabulae viarum atque locorum in hac succincta operis universi descriptione nec exspectabit lector nec exspectare potest; in magnam voluminis molem enim nostra excresceret dissertatio, et ob nimium pretium quo solvenda esset Tabulae nova editio, impedimento magis quam emolumento foret eam sibi comparare volentibus. Quod si quis tamen cujuscunque notatu dignioris loci notitiam comparare sibi cupit, adeat meum de geographia Graecorum et Romanorum opus, inventurus quae suo desiderio satisfaciant; ibi enim inter caetera ad geographiam illustrandam subsidia, Tabulae quoque rationem habui, omni qua fieri potuit cura.

Haec fere sunt, quae de Tabulae ratione doctorum coetui proponere constitueram. Silentio tamen praeterire nec volo nec debeo, aliam adesse sententiam in aevo primariae delineationis constituenda a nostra non recedentem, sed quae et ipsa mediae aevi scriptorem agnoscat, non illum quidem Colmariensem monachum, verum alium, cui nomen *Werinher*, virum satis doctum, versus finem seculi XII. florentem, monachum Abbatiae Tegernseensis in Bavaria, cujus Abbatiae merita in universam rem literariam non parva esse scimus. Eo lubentiore animo adjicerem calculum sententiae, qua decori Bavariae ali-

quid accresceret, si scilicet magno numero eruditorum inde originem ducentium auctor accederet Orbis Picti, in primis cum in cunctis a me propositis, nil nisi patria recentissimi transcriptoris foret immutanda. Nec tamen, quae proferuntur rationes tanti ponderis mihi esse videntur, ut dimissa quam defendi sententia novae accedere possim.

Auctor sententiae est doctiss. *Sebast. Günthner*, ejusdem ornatissimi monasterii Tegernseensis quondam sodalis, mox adscriptus Regiae Academiae literarum Monacensi nuper vero mortuus. Is in commentario *Westenriederi historischen Beyträgen* T. IX., p. 156 seqq. inserto prodit: „Abbas cum esset monasterii Rupertus ab anno 1155 ad 1186, monachus *Werinher* ab amico (cujus literae inseruntur) rogatus est, ut mappam sibi pridem promissam faceret. — Hanc mappam Peutingermanam tabulam fuisse statuendum est, ita ait Günthnerus, cum alias duas Mappas Mundi coenobium jam habuerit, nec ideo de nova ejusdem generis addenda cogitandum. — Adsunt in hodiernum diem schedae manu Werinheri scriptae, eundem quem Tabula exhibet literarum ductum ostendentes. — Imperator in tabula throno insidens Romae Fridericus I. putandus, cujus in se munificentiam monasterium laudibus extollit. Vir galeatus Constantinopoli civitati adpictus ejusdem imperatoris indicat expeditionem Hierosolymitanam. — In insula Sardinia locum habet Tabula nomine *Cruce* insignitum, et nullibi nisi in monasterio Tegernseensi S. Crucis festum celebrabatur. — Ex epistola Joh. Pinciani ad abbatem Maurum a. 1514 scripta docemur, Conr. Celtem duos libros monasterio abstulisse, qui demortuo Celte reposcuntur a Conr. Peutingero. Is, se eosdem cum aliis Celtis libris Universitati Viennensi, cui testamento relegati erant, misisse respondit. De Mappa nulla in literis mentio, eam tamen ablatam forte a Celte nec requisitam cum duobus libris quorum nomina indicantur, contendit Günthnerus; hinc igitur Tabula monasterio a Celte, ignotum quali modo, surrepta devenit ad Conr. Peutingero. — Ita igitur ille. Me autem, tum multa alia retinent, quominus huic sententiae, quae virum egregium furti insimulat, accedam, tum in primis hoc, quod nullo liqueat indicio, Werinherum stetisse promissis mappamque ab eo esse delineatam, qua incertitudine omnis ulterior disquisitio nullo nixa fundamento concidit.

Silentio denique praetereunda non est Tabulae Peutingermanae editio a *Joh. Domenico Podocathoro Christianopulo* Ordinis Praedicatorum *Aesii* (Jesi) in Piceno a. 1809 typis tradita. In nostras regiones ea non pervenit, ex Indicis tamen literariis Gottingensibus (anni 1817 pag. 1846) desumsi pauca haec: Segmenta XII summa cura e Scheybiana editione sunt exscripta, novo addito commentario, in quo, de Theodosio I. omnibus in medio relictis, apographon seculo XIII a monacho quodam transcriptum e literarum caractere ostenditur.

De Geographo Ravennate.

Appendicis loco nonnulla de *Geographo Ravennate* monita huic dissertationi adjungere non duco supervacaneum; eo minus quod passim a Viris Doctis animadversum est, multa eum ex Orbe Picto suo inseruisse confuso operi; simul quoque, ut meae de auctore opinionis reddam rationem. Hominem insipidum hunc mihi visum esse profiteor, nec minus mendacem, qui e scriptoribus sibi soli cognitis sua se desumsisse gloriatur, nominaque locorum credulo lectori offerat inaudita, ut diffusae suae eruditionis prae se ferat testimonia. — Hominem insipidum esse, de eo quidem constat; de mendace retracto sententiam, quum appareat, multae lectionis fuisse virum, et ad manus habuisse quinti, sexti seculi scriptores nobis deperditos.

Ravennae eum natum esse, id ipse indicat geographus; de nomine parum liquet; tempus quo scripsit seculo nono adjungendum esse censeo; in Italiae enim descriptione mentionem infert *Imperialis Estratae*, quam antiquam viam Aemiliam fuisse provinciae additum nomen docet, in Caroli Magni honorem tunc alio nomine insignitam; in Daniae praeterea expositione e sua cognitione refert: „Quae Dania modo *Nordmannorum dicitur patria*;" antiquiore aevo nec viae nec Nordmannorum nomen cognitum erat.

Is pro Christianorum proxime praecedentium seculorum more totus in eo est, ut monstret, orientem versus aditum hominibus patere ad Indiae extremas partes, ad ulteriora accessum esse denegatum, in illis regionibus a Deo quod collocatus sit Paradisus haud adeundus mortalibus; omnem nostram autem terram divisam esse inter tres Noae filios, quorum singulas portiones distincta denotat distributione. Eum in finem continens in partibus meridionalibus duodecim diei horis assignitur, septentrio totidem noctis horis, quibus sol sub oceano mersus procedat. Hanc ut suo modo stabiliat subtilissimam disquisitionem, locos sibi faventes conquirat e Bibliis sacris, vel e Patribus ecclesiasticis, quos eum re vera legisse ex hoc ipso patet; cunctos honorifice memorat, excepto tamen Porphyrio nefando, quem nunquam nisi addito epitheto inducit abominationem testante.

Ut autem probet Ravennas, se suo jure haec pro certis declarare posse, omnium terrae regionum descriptionem addit dissertationi; id est earum situm qualem sibi animo fingebat, disponit, nomina praeterea locorum et fluminum; innuens se vel et ampliora, promontoria, milliarium numerum, cognita habere, nec tamen prolaturum, ne opus evadat prolixius.

Per expositionis seriem agnoscas virum multae lectionis, sed nullius judicii. Sollicite denominat scriptores e quibus sua desumerit, in quorum tamen numero antiquorum vel Graecorum vel Romanorum nullus apparet. Ptolemaeus omnium illi antiquissimus; hunc in auxilium passim vocatum esse e nominibus ex illo desumptis certum est, certa simul hominis inscitia, Ptolemaeum regem Aegypti e Macedonum prosapia ortum declarantis. Omnes alii ab illo adhibiti scriptores sequioris aevi sunt, quo-

rum maxime antiquum Orosium Jornandes excipit sexti seculi Gothus, quem vero suo nomine appellat Ravennas Jordanem vel Jordanum; ultimus e nobis cognitis est Isidorus Hispanus sive Hispalensis seculi septimi. Horum nomina eum non tantum protulisse, ut doctus appareret, sed et libros legisse liquet e veris ex illis desumptis testimoniis. In medium protrahit insuper complures alios auctores, quorum ne nomen quidem ad aures nostras pervenit, ea industria, ut et Persas, qui de sua patria graece scripserint, vel Afros, al. lectori obtrudat, adjungens simul, sese illis, quod in urbium nominibus discrepent, relictis adhaesisse expositioni Castorii, Coliani al. Romanorum scriptorum, eodem modo et in Europae partibus septentrionalibus Marcomirum et alios Gothorum philosophos se esse secutum.

Quae cuncta nomina ficta putavi olim, nectamen amplius puto, quod in aliis nobis notis Ravennatem inveni veridicum, et quod confusas, quas de Germanorum, Sermatarum populis affert notiones, aliunde haurire non potuit. Castorium, Colianum, ejus generis scriptores latinos fuisse existimes, quales habemus Aethicum, Honorium, nil nisi regionum situm, montes, fluvios, praeterea nuda urbium nomina proferentes, qui ea de re, quod nullius ponderis erant ad promovendam cognitionem geographicam, posteriore aevo neglecti atque deperditi sunt; Gothos suos habuisse scriptores, Jornandis exemplo clarum; ab illis desumpsit quae e Romanis discere haud licuit.

Inde autem enascebatur mira rerum farrago, compositio nempe rerum et populorum, quae uno eodemque aevo nunquam adfuerunt in terris, omissio aliorum Ravennatis tempore vigentium, quod eorum nullasibi enarratio adesset talis, ut systema in se cohaerens ex illo aliquo modo formari queat. Indiam vides, Persiam cum Parthorum imperio confusam: Asiae septentrionalia, qualia fuerunt primis Christianorum seculis. Africa e Romanorum cognitione describitur, sic tamen ut et regni Habesch e seculo quinto ratio habeatur, inseranturque perpauca verba de Belisari bello contra Vandalos gesto, quos in interioribus Mauritaniae partibus ex hominum notitia evanuisse innuit; rem non carentem verisimilitudine, a nullo tamen alio scriptore indicatam. Hispaniam et Aquitaniam, quales fuerunt sub Romanis describit, sed et additis nominibus Gothorum tempore consuetis, quorum in Gallia regnum Ligeri flumine finitur; vera assertio seculo quinto, erronea sexto et sequentibus, per Francum Chlodoveum regionibus Ligeri vicinis bello jam subactis. Arabum nec per Africae littora, nec in Hispaniis ulla mentio, quum tamen Ravennas ignorare non potuerit, suo tempore in omnibus hisce imperare Arabes terris; omisit, quod vetustiores Gothi de hisce omnibus nil memorabant.

Britannias affirmat *olim* a Saxonibus esse occupatas, insulae tamen descriptionem uberrimam prodit, eo quo fuit florentissimo Romanorum statu. — Francos per Germaniam regnare affirmat. Ne tamen cogites de Germania magna illi esse sermonem, Caroli M. aevo Francis obediente; Germaniam secundam Rheno appositam designat in seculi quinti fine illis jam subjectam, cui tempori adjungas, quae de Francis dicta sunt; eorum scriptorem nullum agnoscit, omnia desumens e Gothorum Marcomiro aliisque. Haec causa est, quare et Alemannorum possessiones ea extensione proponantur, quam

ante proelium cum Chlodovaeo habuerunt; omnes enim eorum ditioni attribuuntur urbes superioris Rheni ripis adjacentes, Stratisburgum, Spira al., omnis insuper hodierna Alsatia, Lotharingia cum Helvetiorum parte. — E Maurungia Albis fluvii regione Francos olim advenisse fama erat; ejusdem regionis Saxones agnoscit incolas, quos a Carolo M. bello appetitos esse ignorat. In interioribus magnae Germaniae Thuringos nominat, nec tamen eorum sedes novit, nec subjectos esse Francis, duo flumina eorum fines percurrere in Danubium se exonerantia indicat, praeterea nihil. Bajoariorum ne nomen quidem ei compertum; Pannonia qualis fuit sub Romanis, prolixè est descripta, nec Valeriae provinciae mentio omissa; regionem invasam esse a Gothis, Langobardis, Avaris, ei ignotum; Avaros incolas agnoscit Gepidarum terrae sive antiquae Daciae. Interiora Sarmatiae, Finni, insula Scania ad Jordanis maxime descriptiones delineata sunt, adjuncta tamen e recentiore aevo Roxolanorum magni populi extensione, in quibus hodiernos Russos facile agnoscas. Sic et Chafaros memorat, et Onoguros (Ungaros) Paludis Maeotidos accolat; ut videas, harum regionum Ravennatem seculi septimi vel octavi ante oculos habuisse notitias. Italiae denique, ut patriae, auctori summa cura, in indicandis fluminibus, urbium nominibus al. conspicua; de terrae tamen dominis nil memorat, Langobardorum tantum vestigia agnoscas in magno ducatu Beneventano.

Ergo e longe et aetate et eruditione diversis scriptoribus Ravennatis esse conflatum opus e paucis hisce clarescit. Universus inde complexus nullius est usus, e singulis autem, modo perspexeris cui aevo quaequae attribuenda sunt, geographiae atque historiis inservientia hauriri possunt; nisi detinearis magno numero, pro ejus aevi consuetudine, corruptorum nominum, atque viri latinitate interdum adeo vitiata, ut sensum vix elicias.

Insignem praestat opem Ravennas Tabulae Peutingerianae, eaque est causa, cur alieno loco necessaria de eo exposuerim. In primis quatuor libris auctoris quae depromsi continentur; in quinto, ut probet se omnia minutius insignire potuisse, periplum Maris Magni, id est Mediterranei, absolvit, indicatis scilicet urbium nominibus, incipiens a patria Ravenna in eaque finiens expositionem. Singulorum locorum distantias non adjungit, computat tamen, et quoties summa Mille circiter complevit Milliaria, ea distantia indicata ad novum incipiendum sese accingit paragraphum. Quae urbium enumeratio nec desumta est e quoquam Itinerario Maritimo, cum Millibus passuum, nec stadiis pro navigantium more, distantias denotat, urbesque in calculum assumit portu carentes, interdum et a littore remotiores; nec ex Itinerario Antonini, quod eam, quam Ravennas profert nominum abundantiam non praebet: sed unice e nostro Orbe Picto. Neque tamen e nostro, sed ex alio recentiore atque uberiore, quasdam vias in nostro exemplo deficientes inserente, multa insuper locorum nomina, quorum vestigia in nostra Tabula frustra quaerimus.

Aliud igitur seculo nono superfuit Orbis Picti autographon nostro praestantius, quo utebatur Ravennas, silentio tamen obtegens unde desumerit sua, admiratione auctoris geographicae cognitionis ut tenerentur coaevi, quos ejusmodi Tabulam nunquam vidisse autumandum est. Nobis suam os-

tendit imperitiam, dum locorum nomina eo quo ordine sibi in Orbe Picto succedunt, exscribit, cunctos civitatum nomine praedicans, nulla distinctione adhibita; urbes, oppida vicosque, haud raro fluvios quoque civitatibus adnumerat, multa insuper nomina negligenti manu corrumpit. Egregium tamen subsidium geographiae studio deditis suppeditat; vitiata enim nomina interdum ex ipso auctore emendandi copia praebetur, quod eorum magna pars repetita vice in interioribus regionibus occurrit, ut unam altera lectione in melius redigere possimus; in aliis vocabulis nostra Tabula sanam profert lectionem, interdum contra e Ravennate corruptam Tabulae vocem emendes. Separari exinde Ravennas ab Orbe Picto nequit, etsi et accidat, ut ambo pariter hallucinentur.

Nec in littorum tractu tantum, sed et in interioribus regionum partibus pleraque nomina urbium e Tabula Picta desumsisse auctorem deprehendimus. Per Indiae, Mediae, Syriae, Aegypti al. partes, dum suum Castorium aliosque testes adducit, collatione instituta perspicuum est, ex Orbe Picto magnam urbium partem esse transcriptam, vero fonte nequaquam indicato. Nec tamen in aliis fraudatorem agnoscas; adsunt enim nomina Tabulae incognita, regionum distinctiones aliae; Sericam novit Ravennas, cujus nullum in Tabula indicium; meridionales Arabiae tractus delineat, in Africa Aethiopes memorat, eorumque urbes Auxume, Adule, Castorio suo inhaerens, quin et per appellationem *Abyssae* hodiernum regionis nomen *Habesch* exprimit, quae cuncta ex Orbe Picto depromere nequivit. Idem dicendum, de regionibus septentrionem versus inclinatis, per Germaniam, Sarmatiam al. in quibus auxilium afferre nec Tabula, nec ullum Romanorum Itinerarium potuit. — Alios quos adhibuit scriptores indicat Ravennas, silens de solo Orbe Picto, quo potissimum usus est, subsidium quod esset sibi tantum notum, aliis haud compertum.

Itaque perspicuum est, de studiis bene mereri susipientem hujus Ravennatis editionem curatorem, quae non dico systeme operis eruat, nullum enim adest systema auctori, sed quae cuivis expositae regioni aevum ei conveniens designet, enucleet quoque ubi longe diverso aevo tribuenda in eadem regione, repugnantia sibi invicem, pro diversitate auctorum quos secutus est, juxta se ponantur; quae emendet vitiata nomina, in quantum emendari possunt, uno verbo, quae curatius evolvat a me rudiore modo indicata magis quam exposita.

